

5

DE REBUS TEGEATICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS IMMANUEL SCHWEDLER

ZWICKAVIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS I. B. HIRSCHFELDI

MDCCLXXXVII.

Bibliothèque Maison de l'Orient



154112

IUSTO HERMANNO LIPSIO

SACRUM.

DE REBUS TEGEATICIS

SCRIPSIT

GEORGIUS IMMANUEL SCHWEDLER.

Exponendas res Arcadum iam ueterum nonnulli suscipere, in quos Pausania excepto infeliciter saeuit temporum iniquitas. Etenim admodum pauca frustula supersunt ex Arcadicis ab Ariaetho Tegeate, Architimo, Nicia, Aristippo, Hellanico, Staphylo Naucratica conscriptis. In primis quod Aristotelis scripta de singulis aliquot Arcadum ciuitatibus et communi eorum re publica interierunt uehementer lugendum. Inter recentiores de Arcadiae historia satis amplo libro egit Georgius Augustus de Breitenbauch quem anno 1791 Francofurti ad Moenum siti edidit. Qui quamuis diligenter congesserit materiam, congestam tamen parum sollerter disposuit atque examinauit, nec stilus operis eam prae se fert elegantiam ut huic aetati sufficere possit. Schwabii libellus cui Arcadia inscribitur anno 1852 publici iuris factus naturam terrae qualis hodie est respectis antiquorum testimoniis exhibet. Nos aliam uiam ingrediendam rati in publica gentis facta et instituta inquirebamus. Quod cum super uniuersa Arcadum natione disputare a re fore iudicaremus, particulam potius quandam elegimus et Tegeam sumpsimus describendam, quae quidem domi militiaeque ciues gesserint, qua ducti legum et morum consuetudine uitam degerint. Praeit hanc uiam Guielmus Koner dissertatione Berolinensi anno 1843 scripta, quae quam non exhausit rem uel titulus docet: De rebus Tegeatarum capita priora. Nos hercle omnia allaturos esse non pollicemur; si grauissima erunt memorata contenti simus. Haec praefati subinde accingimur ad mediam causam.

CAPUT I.

De pagis.

Vox *Τεγέα* componenda uidetur cum *τέγη* (u. Hesych.) et *στέγη*, *τέγος* et *στέγος*, ut id quod tegit, arcem significet. Quod a Tegeate Lycaonis filio ¹⁾ sibi nomen inditum esse Tegeatae dictitabant ²⁾, id nimirum commentum est. Tegeatae potius nomen ab oppidi nomine ciues formauere. Secundum Pausaniam (l. l.) initio pagatim se habitasse aiebant, scilicet Gareatas, Phylacenses, Caryatas, Corythenses, Potachidas, Oeatas, Manthurenses, Echeuethenses. Sub Aphidantis regno nonum accessisse pagum Aphidantes. Urbem autem ipsam Aleus rex Aphidante natus teste Periegeta condidit. Quod cum Strabo quoque (VIII p. 337) e nouem uicis eam effectam esse adfirmet, non est cur dubitemus, quin Tegea ut aliae urbes Graecorum synoecismo orta sit. Neque uero ei qui hoc perpetravit nomen Aleo erat, quippe quod Mineruae Aleae causa inuentum sit.

Belli discriminibus Tegeatidis incolas passim habitantes per uicos moenibus non defensos permotos esse suspicamur, ut unius regno sese subderent, qui rusticos congregatos arcis supposuit praesidio murisque cinxit domicilia. Ita urbe aedificata nihilo secius ueteres uici conseruati sunt. Quamquam illa sedes rei publicae facta est, ad cuius auctoritatem singuli pagi quouis momento carentes sese applicabant.

Ordo uicorum a Pausania plane confusus est, qui caeli regionem in eis enarrandis parum respexerit. Corythenses enim iuxta Gareatas, Oeatas non procul a Caryatis incoluisse constat. A solis ortu incipientibus Tegeatarum fines peragrarare primus Corythensium (i. e. galeatorum) pagus obuiam fiebat. Hic in uia quae Tegea Argos ducit Parthenio monti, quo su-

1) Sepulcra herois et Maerae uxoris Atlantis filiae in foro uisebantur. Paus. VIII 48, 6. Verum in Mantinensium quoque finibus Maera sepulta esse existimabatur, quo loco uicus eiusdem nominis exstabat. Paus. VIII 12, 7.

2) Paus. VIII 45, 1.

perato in Argiuorum fines perueniebatur, suppositus fuit, quoniam ibi Pausanias (VIII 54, 3) sacrum fuisse quercetum ait cum templo Cereris Corythensis (*ἐν Κορυθαῖσι καλουμένης*). Etiam Alei temporibus — id enim incognito synoecistae interim nomen relinquere liceat — rex pago praefuit, cui Corythum nomen confinxerunt. Is Telephum infantem, quem Auge Minervae sacerdos et filia Alei ab Hercule uitiata pepererat, in Parthenio expositum, cum pastores eum attulissent educandum curavit¹⁾. Regnum Corythi illius qui fertur aut synoecismum Tegeatarum praecessit aut minoris potentiae Aleoque subditum erat. Magis ad meridiem conuersi in ualle Gareatis²⁾ amnis, qui rectam uiam in Thyreatarum agros ducentem praeterfluit³⁾, alter pagus Gareatae habitasse uidentur, tertius Phylacensium supra planitiem in meridionali Tegeatide, scilicet in angulo illo et Thyreatidis et Laconiae parte incluso⁴⁾. Est enim manifestum Phylacen ad Alpei caput⁵⁾, cuius summus cursus Lacedaemoniorum agros et Tegeatarum Pausaniae aetate limitabat, sedem fuisse Phylacensium. Qui cum Caryis occupatis proximi essent Lacedaemoniis eorumque incursionibus maximo opere premerentur, castellum uidentur exstruxisse quo se recipere possent; unde nomen accepisse uicum coiciendum.

A Phylace meridiem uersus euntem et in Oenuntis uallem descendentem pagus excipit Caryatarum cum celeberrimo Dianae fano, haud procul a uia situs quae Thyrea Spartam ducit⁶⁾. Caryae⁷⁾ uicus antiquis temporibus Tegeatis ereptus et Laconiae finibus adiectus est⁸⁾. Quod Pausanias (IV 16, 9) iam ante

1) Apollod. III 9, 1, 4. Diod. IV 33.

2) Formam *Γαρεάτης* cum Sylburgio pro librorum *Γαράτης* reponimus, nisi pagi nomen *Γαρεάται* in *Γαράται* mutare praeplacet; nam fluuii nomen et paganorum nihil inter se differre apertum est.

3) Paus. VIII 54, 4.

4) Bursiani Geogr. Graec. II p. 216 sq.

5) Paus. VIII 54, 1.

6) Paus. III 10, 8.

7) Singularem numerum (Carya) Vitruuius, Ptolomaeus, Stephanus Byzantius auctore ut uidetur Theopompo (Philipp. I. LV) s. u. *Καρύα* usurpant.

8) Vide Photii lexicon: *Καρύαται· ἑορτὴ Ἀρτέμιδος· τὰς δὲ Καρύας Ἀρκάδων οὐσας ἀπετέμνοντο Λακεδαιμόνιοι.* *

bellum Messeniacum alterum factum esse uult. Dissentit Od. Mueller: Dor. II p. 65 n. 2. Iniuria credo; nam Aegys quae et ipsa fuit Arcadiae pars Archelao et Charilao¹⁾ Spartae regnantibus, ergo Lycurgi aetate expugnata esse traditur²⁾. Licet Sciritidem et Caryas postea Spartani adripuerint, uix post proelium ad Hysias anno a. Chr. 669/68³⁾ commissum id accidit, quoniam tum uia Tegea Argos ducens et Tegeatis ipsa in Lacedaemoniorum potestate uidentur fuisse⁴⁾. Etiamsi mox inde expulsi esse merito putantur, quid tamen facilius nobis persuadeamus, quam ex illo tempore Sciritidem et Caryas Laconiae partes fuisse, quae extra montium iuga Tegeatidem cingentia sitae et angustiis faucium praesidiisque firmatae aegre a Tegeatis recuperari possent?

Postero aeuo Caryarum ciues cum Persis contra Graeciam fecisse belloque confecto communi uictorum consilio eorum oppidum excisum esse singulari testimonio Vitruui (I 1, 5) accepimus, qui Caryatidum nomen in hunc modum explicat: 'Carya ciuitas Peloponnensis cum Persis hostibus contra Graeciam consensit; postea Graeci per uictoriam gloriose bello liberati communi consilio Caryatibus bellum indixerunt. Itaque oppido capto uiris interfectis ciuitate deleta matronas eorum in seruitutem abduxerunt, nec sunt passi stolas neque ornatus matronas deponere, uti non uno triumpho ducerentur, sed aeterno seruitutis exemplo graui contumelia pressae poenas pendere uiderentur pro ciuitate. Ideo qui tunc architecti fuerunt, aedificiis publicis designauerunt earum imagines onerifendo collocatas, ut etiam posteris nota poena peccati Caryatium memoriae traderetur.' Apud neminem praeterea ueterum scriptorum tale quid inuenias; etenim quod Herodotus (VIII 26) Arcades quosdam refert transfugas ad Xerxem uenisse, ea minime conspiratio est totius populi.

1) Forma *Χαρίλαος*, Dorice *Χαρίλας*, alteri quae est *Χάριλλος* ob titulorum testimonia praestare uidetur; item *Περίλαος* (*Περίλας*) antiquioris notae est quam *Πέριλλος*. Cf. Boeckhium: C. I. Gr. I p. 49.

2) Paus. III 2, 5. 3) Paus. II 24, 8.

4) V. Busolti Lacedaem. p. 132.

Prellero in 'electis disputationibus' de Caryatidum nomine disserenti (p. 136 sqq.) Vitruuius errasse paululum et factum haud longo spatio a Persicis bellis remotum ad eorum aetatem reuocasse uidetur. Atque illud quidem et Herodotus (IX 35) et eum secutus Pausanias (III 11, 7) tradunt: intra Plataeensem pugnam et tertium bellum Messeniacum Lacedaemonii duobus proeliis cum Arcadibus decertauere, altero cum Argiuis et Tegeatis apud Tegeam, altero cum ceteris praeter Mantinenses Arcadibus apud Dipaeam in Maenalia agro ¹⁾. Tum uir doctus defecisse Caryas suspicatur et cum hostibus conspirasse. Dein Arcadibus uictis Caryas euersas, ciues occisos, matronas in seruitutem abductas esse. Spartaem autem ferme eodem tempore, quo porticus illa Persica cuius tectum Persarum simulacra sustinebant ²⁾, aliud aedificium exstructum esse, in quo Caryatarum mulieres matronali habitu conspicuae pro columnis statuerentur. Equidem Vitruuii fidem ita uindicare nolim neque, si quidem Caryatae haud multo post Leutricam pugnam ad Arcades defecerunt ideoque ab Archidamo rege oppido expugnato trucidati sunt ³⁾ prius uici excidium concedere queo. Quid enim Spartanos semel perfidia perspecta et crudelissime punita, ut restituerent oppidum relictis ex caede, commoturum fuisse credamus? Immo colonos spectatiore fide in regionem incertis sociis obiectam deduxissent.

Nec summus Scaliger felicius de Caryis uico septentrionalis Arcadiae cogitauit, quem Pausanias (VIII 13, 6 et 14, 1) commemorat, alius nemo. Plus ualeret, nisi saepius in historiam Vitruuius peccasset. In ipsis quae illum de quo agitur locum insecuntur Pausaniam uictorem Mardonii filium Agesipolidis appellat, cum Cleombroto natus fuerit; in praefatione autem libri VI inter priscae comoediae poetas Eucratem nominat aliunde non notum, ubi non recte quidam Cratetem reponere uoluerunt.

1) Adde Paus. VIII 8, 6. 45, 2. Isocr. VI 99.

2) Vitr. I 1, 6. Paus. III 11, 3.

3) Xen. Hist. Gr. VI 5, 25 sqq. VII 1, 28.

Quocirca ad alteram Caryatidum explicationem a Prellero monstratam confugio: easdem uirgines Spartanas, quae choreas ducerent Caryis in Dianae honorem, antequam saltarent sollemni in pompa Canephororum uicibus functas esse. Vitruuii uero fabula meo quidem arbitrato, si non ab ipso, at certe a Graeco quodam scriptore quem Romanus secutus est, inuenta uel ut mitius iudicemus confusione aliqua rerum producta est. Ille quidem cum Caryas quondam dirutas esse rescuiisset simulque Herodotei loci meminisset, inepta coniectura utrumque factum in unum conglomerando causam cur matronae columnarum uice positae Caryatides uocarentur commentus est. Neque quisquam dicat Caryas ab Archidamo nequaquam deletas esse, cum captae tantum uirique inquilini caesi esse a Xenophonte traderentur. Huius enim ut Lacedaemoniorum amici eorum crudelius facta quam maxime attenuare intererat. Alios autem scriptores de excisis Caryis uerba fecisse Polyaei discimus narratiuncula (I 41, 4) ex Ephoro fortasse hausta.

Euerso uico propter cladem quam breui post ad Medeam 1) Arcades ab Archidamo acceperunt et exitum fatalem proelii ad Mantineam commissi ut pagum Caryatarum sibi repararent Tegeatis non contigit. Philippi demum aetate haec spes uideatur expleta esse; qui proelio apud Chaeroneam commisso ab Arcadibus in Peloponnesum aduocatus partem Lacedaemoniorum terrae, fortasse Sciritidem et Caryas, Tegeatarum agris adiecit 2). Tum uicum esse restitutum haud male coiciamus. Deinde diu Caryae ad Tegeatidem pertinuisse uidentur, si qua aetate Cleomenes tertius, Spartanorum dignitatis in breue tempus restitutor, Laconiae fines amplificauit excipias. Namque cum T. Quinctius Flaminius deuicto Philippo ut Achaeorum socius et tutor anno a. Chr. n. 195 aduersus Nabim crudelissimum Spartae tyrannum expeditionem suscepisset, ad Caryas posuit castra ibique priusquam hostium intraret agrum sociorum auxilia exspectauit.

1) Xen. Hist. Gr. VII 1, 28 sqq. Diod. XV 72, 3. Plut. Ages. 33.

2) Polyb. IX 28, 7. XVIII 14, 7.

Tametsi idem uicus, quem hic (XXXIV 26) Liuius extra Laconicam esse ponit, alio loco (XXXV 27) a scriptore pars huius terrae habetur: '(Philopoemen) ad Caryas primum in hostium terra posuit castra'. Agitur initium redintegrati Achaeorum cum Nabide belli anno 192. Priore loco errasse Liuium quod olim Tegeatarum fuissent Caryae cogitare nequeo, quoniam contrarium peccare promptius erat, ut si ad Arcades uicus pertineret, peruerse in Lacedaemoniorum finibus conlocaretur, ubi et Pausaniae et Augusti aetate uidetur situs fuisse. Iam qui utrobique Patauini fidem defendendam susceperit, Romanorum imperatoris interfuisse dicet tyrannum inter populi Romani amicos recipi. Quod ut efficeretur nec tamen Achaei nimium indignarentur, pace anno 195 cum Nabide composita eripuisse illi quidem Flamininum Argos maritimasque Laconiae regiones, condonasse uero Sciritidem et Caryatidem quae tum in Achaeorum ditione essent, nempe fines Lacedaemoniorum accuratius definiendi usum praetextu, quia ipsa natura haec loca Laconiae potius quam Arcadiae attribuerentur. Ei opinioni Pausaniae locus (VII 13, 4—5) adaptari potest, ubi haec fere proferuntur: Diaeus Achaeorum praetor anno a. Chr. n. 147 renuntiatus, quaecumque oppida in orbem Spartaefinitima erant, ad Achaeorum amicitiam pелlecta praesidiis firmavit, ut unde Spartanos uexare possent castella haberent Achaei. Qua re indignatus Menalcidas dux Lacedaemoniorum uiolata indutiarum fide Iasum oppidum Laconiae terrae, sed Achaeorum ditionis subito impetu captum diripuit. — Iasum E. Curtius (Peloponn. II p. 322 n. 58) et unum ex illis castellis a Diaeo Spartanis demptis et Sciritidis oppidulum fuisse neque ab Oeo Xenophonti et Stephano Byzantio memorata diuersum opinatur.

Quae si ita fuerint, Sciritarum agri ante Diaei expeditionem intra Lacedaemoniorum fines fuisse uideantur nec minus Caryatarum pagus, cuius fortuna cum Sciritide fere coniuncta esset. At certis argumentis Curtii coniectura de qua ipse dubitat non potest euinci. Dein satis mirum sit non prius Achaeos plagas ademptas sibi restituisse, qui iterum ac saepius post bellum a Flaminino cum Nabide gestum Spartam penitus ad-

figerent agrumque Belbinatem iniuria a tyrannis Lacedaemoniorum possessum anno 192 Philopoemene duce recuperarent ex decreto uetere Achaeorum, quod factum erat Philippo Amyntae filio regnante ¹⁾. Talia respicienti nihil superest nisi ut posteriore loco (XXXV 27) neglegentius egisse Liuium credat Caryasque inde a Philippi aetate usque ad annum 146, quo societate Achaeorum soluta Graecia in prouinciae formam redacta est, Tegeatidis partem fuisse statuatur. Tunc autem termini natura inter Arcadiam et Laconiam positi ciuitatibus etiam disiungendis ita a Romanis uidentur obseruati esse, ut Belbina, Sciritae, Caryae Lacedaemoniis redderentur, quibus sub imperatoribus Romanis subdita fuerunt. ²⁾

At relictis Caryis iam ad Oeatarum uicum ueniamus in Sciritide situm ³⁾. Sciritarum fines Parrhasiis uicini erant ⁴⁾, qui ad superiorem Alpheum prope eam regionem ubi postmodo Megalopolis aedificata est habitasse uidentur ⁵⁾. Hinc Oeatas consentaneum est non multum a Caryis afuisse occidentem uersus et montanas regiones inter Eurotae et Oenuntis summi conualles incoluisse. Apud Pausaniam ubi pagos Tegeatarum enumerat librariorum inscitia nomen Oeatarum oblitatum est. Exhibentur οἱ τὰς Μανθουραῖς nec defuere qui octo tantum uicos Periegetam indicare arbitrati ut Strabonis numerum complerent Tegeam ipsam mente adderent nonam ⁶⁾. Iam uero cum apud Stephanum legamus: Οἶον ⁷⁾, πολίχνην Τεγέας. Αἰσχύλος Μῦθοις ⁸⁾, de emendanda Pausaniae corruptela nulla dubitatio remanet.

1) Liu. XXXVIII 34. 2) Paus. III 10, 8. 21, 3.

3) Xen. Hist. Gr. VI 5, 24. 4) Thuc. V 33.

5) Confer fragmentum e Niciae Arcadicis seruatum apud Athen. XIII p. 609 e. Respiciendus etiam Steph. Byz. Σκίρος Ἀρκαδίας κατοικία πληθόντων Μαιναλέων καὶ Παρῳασίων.

6) V. Muellert Dor. II p. 65, G. Konerum: De reb. Tegeat. capp. pr. p. 13

7) Formam Οἶος quam Xenophontis codices praebent utique praefendam iudico, cum in pagis Atheniensium homonymis ab Arcadio (p. 37, 13) et schol. II. λ 24 commendetur.

8) De Mysis Aeschylī, quae fabula Telephi fata tractabat, confer Nauckii Fragm. trag. p. 35.

Quod anno 369 sub Epaminondae inruptionem in Laco-
niam factam Oeus Spartanorum erat castellum in agrorum
confinio contra Arcades exstructum¹⁾, E. Curtium (Pelop. II
p. 322) inducere non debebat, ut duos uicos eius nominis fuisse
sumeret, alterum Tegeatarum alterum Laconum, non magis
quam binas Caryas. Sciritae enim perinde atque Caryatae ma-
ture a gentilibus abscissi in Lacedaemoniorum dicionem pe-
uenere. In exercitu Spartanorum cohors erant peculiaris pe-
ditum leuis armaturae, numero aetate belli Peloponnesiaci
sescentorum, quibus regum custodia et periculosae stationes
permittebantur; uelut frontem faciebant in itinere et cornu
laeuum in proeliis tenebant²⁾. Nimirum hac praecipua prae
ceteris perioecis condicione propter fortitudinem dignabantur,
qua bello diuturno sedes suas contra Spartanos defendisse
uidentur. Memores tamen pristinae patriae, cum Thebani et
Arcades post Leutricam pugnam Laconiam ingressi essent³⁾,
statim ad eos defecerunt cuius rei postea poenas dederunt
Archidamo rege Sciritidem depopulante⁴⁾. Ceterum quae
Caryatis acciderent Oeatas communicasse reor.

Tegeatidis regionem et ad meridiem et ad solis occasum
uergentem *Μαγδορείς* siue *Μαγδορρείς* tenebant. Ibi enim
sub Boreo monte ad dextram Aggeris (*Χῶμα*), qui Pallantien-
sium et Tegeatarum fines terminabat, Manthurica iacebat pla-
nities eaque quinquaginta stadia ab oppido Tegea aberat⁵⁾.
Vici rudera Bursianus (Geogr. II p. 217) se uidisse autumat.

1) Xen. Hist. Gr. VI 5, 24. Diod. XV 64.

2) Thuc. V 67 sq. Xen. Res publ. Lac. 12, 3. 13, 6. Cyr. IV 2, 1. Diod.
XV 32.

3) Oeum tunc temporis Ischolaus Laco cum praesidio neodamodum
et iunioribus Tegeatarum exsulantium fere quadringentis tenebat. Qui ab
Arcadibus hac uia Laconiam intrantibus uincitur et undique circumuentus
cum maxima exercitus parte perit. Xen. Hist. Gr. VI 5, 24—26. Diodorus
(XV 64) eundem Ischolaum dicit, qui fore, ut superioribus hostium copiis
succumberet, prospiciens Leonidam imitatus dimissis iunioribus ipse cum
senioribus in aditus angustiis pro patria morti se deuouerit. Quin Polyaeus
(II 22) Ischolaus ab illo non diuersus sit, nemo dubitabit.

4) Xen. Hist. Gr. VII 4, 21.

5) Paus. VIII 44, 7.

Signum Mineruae Aleae, quod Pausaniae aetate Tegeae conspiciebatur, ex Manthurensium pago deportauerant, ubi Hippiae cognomine dea culta erat ¹⁾. Itidem cognominatae alibi etiam Palladi sacra reddebantur, uelut in Colono Atheniensium.

Qua in regione *Πωταχίδα* siue *Βωταχίδα* uicus fuerit non habeo exploratum. Susplicari autem licet in occidentali uel septentrionali Tegeatarum agro ei sedes fuisse constitutas. Praeter Pausaniam Stephanus Byzantius pagi mentionem inicit, apud quem haec inueniuntur: *Βωταχίδα, τόπος Ἀρκαδίας, ἀπὸ Βωτάχου. Νικόλαος ἐ΄ Ἰοκρίτου δὲ τοῦ Ἀντιόχου Βώταχος, ἀφ' οὗ ὁ τόπος Βωταχίδα ἐν Τεγέᾳ ἐκλήθη*. Nicolaus igitur Damascenus cum Iocritum Lycurgi fuisse filium dicit, et a Pausania et a bibliothecae auctore quae Apollodori fertur nomine discrepat. Ille enim (VIII 4, 10) Ancaeam ²⁾ et Epochum solos Lycurgo natos nouit, hic (III 9, 2, 1) quattuor ³⁾ nominat: Ancaeam et Epochum, Amphidamantem ⁴⁾ et Iasum ⁵⁾. Diuersam uici scripturam — Pausanias *Πωταχίδα* exhibet — non tam librariorum errori tribuendam censeo, ut Koner (p. 13 n. 3) qui apud Pausaniam π in β mutatam uult, quam uarietati elocutionis.

1) Paus. VIII 47, 1. 2) Ancaeus nepos etiam Lycurgi dicebatur, ut Hyginus (Fab. 14a) narrat.

3) Quod idem (I 8, 2, 4) e Lycurgi liberis Cepheum pro Epocho (Paus. VIII 45, 7) iuxta Ancaeam uenationi Calydoniae interfuisse tradit, ea culpa siue compileris qui auctor est bibliothecae siue librariorum ducenda uidetur. Verus Apollodorus, si modo ex hoc deductum est illud opusculum, haud dubie Epochum nominauerat. Cui opinioni refragari non potest schol. Apoll. Rhod. I 162, ubi alterius Cephei Hellanicus mentionem fecisse indicatur. Is nimirum Cepheum Neptuno genitum intellexerat, quod euicisse mihi uideor conlato schol. Eur. Phoen. 150.

4) Neque uero inter Alei liberos Amphidamantem enumerat. Cf. III 9, 1, 2.

5) Hic Iasus Atalantae pater apud Aelianum (Var. hist. XIII 1) Iasio, apud reliquos Iasius appellatur. Neque alius ni fallor est Iasius, qui Olympiae equo uicerat ideoque statua in foro Tegeatarum posita honoratus erat. Paus. V 8, 4. VIII 48, 1. Item de uxore Lycurgi dissentiunt scriptores, quam schol. Apoll. Rhod. I 164 Antinoam, Apollodorus l. l. Cleophilam siue Euryonomam fuisse aiunt. Antinoam Pausanias (VIII 8, 4 et 9, 5, ubi suo iure Siebelis *Ἀυτονόην* librorum correxit) Cephei filiam, neptem Alei uocat.

Crebrius in hunc modum formae nominum propriorum uariant; exstiterunt scripturae *Κάνωπος* et *Κάνωβος*, quarum illam rectiorem esse Herodianus auctor est (II p. 530) nec tamen hanc usurpari negat (I p. 189), *Βρεντέσιον* et *Βρενδέσιον* ita rarissime (schol. Hom. Od. α 184), ut frequentissime uel semper apud Latinos Brundisium adhibita, *Ἀμπρακία* et *Ἀμβρακία*, *Κνωσός* fere usque, *Γνωσιών* tamen in duobus nummis imperatoriis (Eckhelii Doctr. Numm. II p. 309) — aliter in Latino sermone forma Cnosus inuenitur illa quidem, sed usitatio est Gnosus¹⁾ — denique *Κνίδος*, Latine Cnidus etiam, frequentior uero Gnidus²⁾. Insuper uide G. Curtium: Elem. Graec. Etym. p. 533 sqq. et O. Immischii dissertationem: De glossis lexicī Hesychiani Italicis, Studd. Lips. uol. VIII insertam, p. 309. Saepe alia aetas aliam nominis formam praestat; nonnumquam, ut etiam nunc fit idque maxime in pusillis uicis quorum nomina raro litteris mandantur, isdem temporibus incerta est scriptura, donec magistratum auctoritate stabilitur. Sic uindicata Pausaniae memoria nihilo minus dubitare nolim quin rectius scribatur *Βωταχίδαί*, quippe quod nomen a radice *βου* quae inest in uoce *βούς* deriuandum uideatur³⁾.

Restant duo Tegeatarum pagi, Echeuthenses et Aphidantes, quorum illos haud procul a Botachidis habitasse probabile est, quamquam de sedibus eorum certius nihil discimus. De Aphidantibus initio sequentis capituli disseremus.

CAPUT II.

De tribubus.

Quo loco postmodum Tegea urbs nouem pagis agrestibus coniunctis effloruit, iam antea pars populi habitasse uidetur, cum in media Tegeatide situs collibusque pluribus qui muni-

1) Terent. Maur. 890 (Gr. L. VI).

2) Adde nomina *Μηκύνβερα* et *Μηκύνπερα*, *Βρεττανία* et *Πρεττανία*, *Ἀτουατικοί* Cassii Dionis (XXXIX 4), qui sunt Aduatuci Romanorum, *Ἐπίδαυρος* et *Ἐπίταυρος*.

3) Cf. Lobeckii Path. p. 335.

rentur idoneis distinctus ad incolendum homines inuitaret. Neque ipsae fabulae de antiquissimis Arcadiae temporibus circumlatae aduersantur quippe quae tribus saeculis, postquam Tegeates Lycaonis filius conditor Tegeae exstiterit, synoecismum per Aleum Aphidante natum fieri memorent¹⁾. Ante eum igitur Tegea ipsa e numero nouem pagorum fuit. Quod si quaerimus quinam fuerit, nemo non de Aphidantibus cogitabit, quos ultimos sub Aphidantis regno ad ciuitatem accessisse Pausanias (VIII 45, 1) testatur. Quo modo id accidere potuit? Aphidas, unus de tribus Arcadis liberis genuinis quos cum Eratone Dryade procreauerat²⁾ sortitione facta a patre Tegeam et quae adiacent (*Ἀφειδάντειον κληρον*)³⁾ acceperat. Quem quoniam Lycosorae prisca Arcadicorum regum sedes conlocata fuit, extrinsecus cum manu suorum quos Aphidantes nuncupabant Tegeam aduenisse et in media terra arce opportuno loco aedificata domicilia sibi suisque constituisse facile coicias.

1) Paus. VIII 3, 4. 45, 1.

2) Paus. VIII 4, 2 (conl. X 9, 5), ubi *Ἐπιμηλίδας* cum Siebeli scribo; sequentia uerba *τὰς ἐαυτῶν ἐκάλων Ναΐδας* sic mihi restituisse uideor, ut post *ἐκάλων* inseram *νύμφας καί*. Ante sequentem *καί* coniunctionem quae 'etiam' significet fortius interpungendum. — Apud alios aliter coniunx Arcadis audit: Leanira, Meganira, apud Eumelum Chrysopelia *nympha*. Apollod. III 9, 1, 1. Schol. Eur. Orest. 1647. Nomen Prosopeliae, quod Tzetzes ad Lycophr. 480 *nymphae* uindicat, corruptum esse mihi persuasi. Quo loco uix recte ad Apollonium quendam prouocatur; immo Apollodorum laudare debebat grammaticus. Leanira eadem uidetur esse atque Laodamia, quae et ipsa Amyclae Lacedaemonii filia uocatur. Cum ea Triphylum genuisse Arcadem Pausanias (X 9, 5) tradidit. — Enarrator ad u. 1647 Orestae Pherecydem paulo supra laudatum exscripsit; quod nollem neglexisset C. Mueller in *Fragm. hist.* Unus enim Pherecydes Apollodoro testante (III 8, 2, 2) Ceteo genitam fecit Callisto matrem Arcadis. De patre consentit Ariaethus in Arcadicis secundum Hygini *Poet. astron.* II 1, nisi quod nomen e prima ut ita dicam declinatione flectit; genetricem uero Megisto appellat. Eandem pro nepte Lycaonis ducit, non pro filia quae uulgo existimatur Callisto. Aliter rursus Pherecydes plura genera inter hanc et Lycaonem intercedere uult. Tertium nomen Themistus ab Istro impositum esse matri Arcadis Stephanus Byzantius prodidit s. u. *Ἀρκαδία*. Adsentitur Eustathius ad Il. p. 300, 30.

3) Paus. VIII 4, 3. Apoll. Rh. I 162.

Scilicet cum Aleus huic recentiori uico ex octo prioribus homines agrestes adgregasset, ut Tegea urbs inter cetera regionis oppidula haud mediocriter praemineret, haec quidem stare non desiere; Aphidantium uero memoria oblitterata est neque quidquam nisi uestigia eorum in urbe remanserunt.

Minime enim in nouo oppido uetus terrae distributio in nouem partes eorumque nomina tenebantur, sed quattuor tribus Pausania auctore (VIII 53, 6) discernebantur his nominibus inditis: Clareotis, Hippothoitis, Apolloneatis, Athaneatis; quarum singulae singula Apollini Agyieo (uiarum custodi)¹⁾ signa dedicarant, in media nimirum urbe prope theatrum nec longe a foro²⁾. Appellari eas dicit Pausanias ab agri sorte quam liberis Arcas proposuerit suis simulque ab Hippothoo Cercyonis filio. *Τεγεάταις δὲ τοῦ Ἀγυιέως τὰ ἀγάλματα τέσσαρά εἰσιν ἀριθμὸν, ὑπὸ φυλῆς ἐν ἐκάστης ἰδρυμένον· ὀνόματα δὲ αἱ φυλαὶ παρέχονται Κλαρεῶτις, Ἴπποθοῖτις, Ἀπολλωνεᾶτις, Ἀθανεᾶτις· καλοῦνται δὲ ἀπὸ τοῦ κλήρου ὃν τοῖς παισὶν Ἀρκὰς ἐποίησεν ὑπὲρ τῆς χώρας καὶ ἀπὸ Ἰππόθου τοῦ Κερκύωνος.* Quae explicatio ad duas tantum tribus primo loco nominatas spectare potest; nec tamen Periegeta is est, apud quem in tali locutione offendendum sit.

Cum quattuor illarum tribuum apud nullum alium scriptorem mentio fiat, bene accidit quod tituli Tegeatici in eis

1) Initium cultus Agyiei Pausanias (VIII 53, 1—3) a Scephri caede Tegeatae et Maerae filii repetit, quam Limo frater perpetrarit. Huic enim in suspicionem Scephrus uenerat propter colloquium, quod cum Apolline habuerat cum sorore in Tegeatidem aduenienti ut Latonam a mortalibus contemptam ulcisceretur. Limo Dianae spiculis statim interemptus est. Ad expiandum illius facinus oraculo Delphico parentes Scephrum lugere iussi sunt, quae religio in festis Agyiei diebus ex illo tempore conseruata est.

2) Haec non in eadem regione omnia stetisse, sed terminos quattuor urbis partium fecisse Bursianus (Geogr. II p. 320 n. 2) mihi non persuasit. Quis nescit Athenarum heroes eponymos in uno foro collocatos? Theatrum quod Pausanias (VIII 49, 1) memorat non diuersum fuisse ab eo uideatur, quod priore dimidio secundi ante Chr. n. saeculi 'magnificum e marmore facere instituit' Antiochus Epiphanes Syriae rex. V. Liu. XXXXI 20.

praecipue notissimus ille (Boeckhii C. I. Gr. I 1513, Lebasii II 338b, Caueri Del. 454) Pausaniae indicium magna e parte confirmant. Enumerantur ibi tributim ciues et inquilini Tegeatici, qui per nonnullos annos uictores ludorum facti coronas pro praemiis acceptas numini cui ludi celebrabantur deuouerant. Quodnam fuerit numen haec docent superscripta: Ἐν ἀγῶσι τοῖς Ὀλυμπικοῖς τῷ μεγίστῳ καὶ κερανοβόλῳ Διὶ ἀνατεθειμένοις ἐκομίσαντο τοὺς στεφάνους. Erat igitur Iupiter Olympius siue Fulminans, de quo aliunde nihil comperit habemus. Hoc certum est Iouem uariis adoratum cognominibus complura templa Tegeae habuisse. Ab Ioue Clario uicus ille excelsior Pausaniae, in quo multas Tegeatae aras habebant, cognominatus erat. Praeterea in foro ara et signum quadrangulum Iouis Telei (Τελείου i. e. perficientis) exstabant, ad laeuam autem uiae a Tegea in Laconiam ducentis Lycaei Iouis ara et delubrum, cuius tantum modo rudera Pausaniae aetate conspiciebantur¹⁾. Titulo denique II 337 Lebasii de Ioue Μελίχῳ i. e. exorabili docemur.

Ludos Ioui Olympio celebratos Pausanias ipse quoque attingit, ubi de colle Iouis Clarii loquitur (VIII 53, 9): Τὸ δὲ χωρίον τὸ ὑψηλόν, ἐφ' οὗ καὶ οἱ βωμοὶ Τεγεάταις εἰσὶν οἱ πολλοί, καλεῖται μὲν Διὸς Κλαρίου, δῆλα δὲ ὡς ἐγένετο ἢ ἐπίκλησις τῷ θεῷ τῶν κλήρου τῶν παιδίων ἐνεκα τοῦ Ἀρκάδος. ἄγουσι δὲ ἐορτὴν αὐτόθι Τεγεᾶται κατ' ἔτος. Anni ludii etiam in inscriptione illa intellegendi uidentur. Neque opus est sumere Pausaniam de festis diebus Clarii Iouis cogitasse, cum permulta in cliuo illo altaria essent posita, quorum nescio an unum ad Iouem Olympium pertinuerit. Namque ut in arce Atheniensium diuersa Mineruae numina colebantur, ita Iouis cultus in colle Clario, qui non minus arcis uices explesse uidetur, complura loca habere potuit.

Sed reuertamur ad tribus Tegeatarum, quarum ordinem a Pausania peruerse redditum esse titulo illo comprobatur. Ibi enim quamquam ita mutatur ordo, ut quotannis per singula

1) Paus. VIII 48, 6. 53, 11.

quadriennia alia tribus initium faciat tabulae uictorum, tamen numquam inuersa series comparet, cum una quaeque tribus sequenti anno in locum proxime superiorem succedat praeter primam quae postremo loco ponitur. Sic igitur tribus sese excipiunt: I. Ἐπ' Ἀθαναίαν, Κραριῶται, Ἀπολλωνιάται, Ἴπποθοῖται. II. Κραριῶται, Ἀπολλωνιάται, Ἴπποθοῖται, ἐπ' Ἀθαναίαν etc. Nullo autem pacto Hippothoithae Crariotas insequi possunt, ut fit apud Pausaniam.

Ceterum hunc in scribendis tribuum nominibus neglegentius uersatum esse negamus atque exitus in εἴτις et εῶτις, qui uulgo in editionibus pro αἴται, ἰῶται, ἰᾶται lapide exhibitis leguntur, scribarum socordiae originem debere confidimus, quando reliquiae uerae scriptionis in codicibus indagatae sunt. Nam forma Ἀθαναϊᾶτις Angelico, Ἀπολλωνιάτις Lugdunensi a et Vindobonensi b praestantur. Quapropter optimo iure P. Foucartus in commentario, quo collectionem titulorum Lebasianam instructam edidit, Ἀθαναϊᾶτις in Pausaniae uerbis reponendum censuit, nec non laudandum quod Schubartus in minore editione scripturam Ἀπολλωνιάτις restituit. His probatis non grauabimur etiam formam Κλαριῶτις scriptori uindicare. Quid enim uocalis ε sibi uelit in eiusmodi formis¹⁾?

Quod Pausanias scriptiones Κράριος, Κραριῶτις proprias dialecti Tegeaticae non conseruauit, id seriori eius aetati condonamus. Exempla commutationis liquidarum λ et ρ non desunt, etsi illud abiciendum est quod Boeckhiius attulit: ναύκραρος ab Atticis pro ναύκλαρος (ναύκληρος) dictum esse. Namque G. Meyer in Curtii Studd. uol. VII magna cum specie ueritatis hanc uocem e ναῦς et radice κραν quae subest uerbo κραίνειν compositam formamque ναύκλαρος, quae apud posteros raro occurrit, uel uitandae gratia similitudinis consonarum uel peruersa etymologia natam esse proposuit. Aptiora haec

1) Idem Pausaniae (VIII 53, 10) scripturam Κρακιάτιδος inuitis libris qui Κρακεάτιδος exhibent restituendam duco. Cf. κρηκίας (Babr. 122, 12) lupum significans Κρακίας (Paus. VI 10, 7) quod equi nomen est. Fortassis ad eandem stirpem referendum nomen Dianae Κρακίας, quam Spartaee ueneratione prosequabantur (Paus. III 18, 4), ut rectius Κρακία scribatur.

sunt: ἔρχομαι, Aor. ἤλθον; αἰρέω, Aor. εἶλον: hic in Cretica dialecto λ etiam in formas praesentis et futuri temporis inrepsit ut αἰλεῖν etc. pro αἰρεῖν in titulo Gortynio recentissime in lucem retracto legatur, ἀφαιλήσεσθαι in alia inscriptione eiusdem insulae. Exstabat Phocensium oppidulum, cui nomen erat et Ἀνεμώλεια et Ἀνεμώρεια. Porro quin radices ἀλκ et ἀρκ (cf. ἀλκή, ἀρκέω etc.) eandem notionem includant nemo in dubium uocabit. Litteras κλ et κρ inter se fluctuantes deprehendi in nominibus κρίζανος (κλίβανος) i. e. furnus, κριβανίτης (κλιβανίτης) reliquisque eiusdem stirpis, ubi Phrynichus p. 179 (Lob.) scripturam per ρ Atticam et unam ueram esse praecipit. Altera scriptura cum in Doriensium maxime usu fuerit, non minus apud Herodotum passimque apud posteriores legitur ¹⁾).

Sed tandem accedamus ad soluendam eam quaestionem, unde tribubus Tegeatarum nomina indita esse uideantur. Atque localem fuisse earum rationem neminem debet effugere, quod significatione tribulium Minerualium οἱ ἐπ' Ἀθαναίαν (scil. ἐπιρκημένοι) luculentissime cognoscatur. Hac nimirum ii intelleguntur qui circa aedem Mineruae incolebant, itemque Κραριῶται, Ἀπολλωνιάται, Ἴπποδοῖται propter delubra Iouis Clarii, Apollinis, Hippothoi habitabant. Minerua autem, Iuppiter, Apollo tanto opere Tegeae praeter ceteros caelestes in honore fuerunt, ut tamquam patroni ciuitatis singulis quisque tribubus nomina imponerent. Atque haec tres tribus quin iam a conditore oppidi, cum congregatio facta esset nouem pagorum, constitutae fuerint nihil est cur dubitemus, quamquam pristinis temporibus magis ad religionem quam ad rem publicam uidentur spectasse.

Quarta Hippothoitis uel idcirco posteriore aetate accessisse putanda est, quod Hippothous a quo nomen duxit multo post Aleum regnasse fertur. Ergo in tres potissimum partes qui

1) κλ et κρ praeterea mixtim habes in κλωμαξ i. e. acerus saxorum (cf. glomus), κλωμακόεις (saxosus) et κρωμαξ, κρωμαξίσκος deminutio, κρωμακωτός idem ualentibus. Cf. etiam uerba κλάζειν et κράζειν olim significatu aegre diuersa.

antiquitus Tegeam incolebant secundum cultum ac religionem distincti fuerunt. Una pars ex occidentali et meridionali terrae regione conuenerat et Mineruam in praecipuo honore habebat; altera ex orientali plaga Argiuis finitima Apollinis cultum secum asportauerat. Ioui denique iam ante synoeciſmum in colle Clario arce Aphidantium sacra facta esse coicio; cuius accolae tertiam ciuitatis partem efficiebant.

Iuppiter apud maiores Aphidantis inde a Lycaone qui in honorem eius ludos Lycaeos instituerat summa ueneratione colebatur, unde facile suspicamur illum cum Lycosora in regnum sorte acceptum proficisceretur sacra summi deorum Tegeam attulisse. Quod ibi inter alia epitheta cognomen *Κράριος* (*Κλάριος*) Iouis proprium erat, id parum probabiliter a sortitione Arcadis filiorum repetit Pausanias; immo Clarius attributum Iouis est ab Aeschylō quoque usurpatum, cuius in Suppl. u. 360 exstant: *Ἰεσία Θέμις Διὸς κλαρίου*, ad quae scholiasta adnotat: *παντάπασι* (Weil. *πάντα πᾶσι*) *κληροῦντος καὶ κραίνοντος*; ita Iuppiter sorte (*κλήρω*) distribuens intelligitur, atque uel summum numen caeco fato subiectum fuisse indicatur.

Aliter Boeckhius in commentario, quem ei quem tractamus titulo subiecit, hunc Iouem tutorem sortitorum agrorum (*κλήρων*) interpretari uidetur. *Κραριώτας* enim eos fuisse qui fundos certis legibus exercerent, inferioris quondam conditionis homines quales essent Cretensium Clarotae ab agri sortibus appellati ¹⁾. Insuper Hilotas Spartanorum et Penestas Thessalorum confert. Arcades enim Hilotis similes *προουπελάτας* habuisse Theopompo auctore apud Athenaeum (VI p. 271 e). Denique Tegeaticos Clarotas principio eadem fuisse conditione qua Creticos inde conligit, quod insignes Cretae urbes Cydonia, Gortys, Catre a Tegeatae filiis dictae feruntur. Sed Tegeae illos posthac ciues fuisse.

Quae coniectura cum partim falsis fundamentis nitatur nunc stare nequit. Athenaei loco haec leguntur: *ἔτι Θεόπομ-*

1) V. Muelleri Dor. II p. 53.

πος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Φιλιππικῶν Ἀρκαδίους φησὶ νεκτῆσθαι προσπελατῶν ὡσπερ Εἰλώτων τριάκοντα μυριάδας. Primum miri quiddam habet forma Ἀρκαδίοι nullibi de Arcadiae incolis adhibita. Deinde prorsus idem in decimo Athenaei libro (p. 443 b) redit ex eiusdem auctoris secundo libro Philippi-
corum desumptum nisi quod de Ariaeis dicitur, et hoc nomen ex Ἀρκαδίοι corruptum esse aegre quisquam contendet. Quamquam ne Ariaei quidem innotuerunt. Quod cum altero loco commonstretur Theopompum libro secundo res Illyriorum tractasse, equidem nullus cunctor Casauboni emendationem amplecti utrobique Ἀρδιαῖοι reponentis. Hic Illyriae populus fuit per alios scriptores sat notus¹⁾. Maximum autem seruorum numerum aequè Dardanis fuisse, quae et ipsa gens Illyrica erat, idem Athenaeus (VI p. 272 d) Agatharchide Gnidio auctore narrat. Ceteroqui nusquam de parte Arcadiae incolarum alteri parti ita subiecta ut seruiret proditur. Immo Arcades semet indigenas esse omnesque extrinsecus in ipsorum terram irrumpentes uelut Dorienses reppulisse adserebant. Priuatorum hominum serui apud eos procul dubio exstiterunt²⁾, etiamsi pauciores fuerint quam in maritimis Graeciae regionibus³⁾.

De coloniis Tegea in Cretam deductis haec sunt Pausaniae (VIII 53, 4) uerba: *Λέγουσι δὲ καὶ ὅσοι τοῦ Τεγεάτου τῶν παίδων ἐλείποντο μετοικῆσαι σφᾶς ἐκουσίως ἐς Κρήτην, Κύδωνα καὶ Ἀρχήδιον καὶ Γόρτυνα· καὶ ἀπὸ τούτων φασὶν ὀνομασθῆναι τὰς πόλεις Κυδωνίαν καὶ Γόρτυνά τε καὶ Κατρέα. Κρηῖτες δὲ οὐχ ὁμολογοῦντες τῷ τῶν Τεγεατῶν λόγῳ Κύδωνα μὲν Ἀκαλλίδος θυγατρὸς Μίνω καὶ Ἐρμού, Κατρέα δὲ φασὶν εἶναι Μίνω, τὸν δὲ Γόρτυνα Ῥαδαμάνθυος⁴⁾.*

1) Polyb. II 11, 12. Strab. VII p. 314 sqq., Arist. de mir. aud. 138, App. III. 3 et 10 (Ἀρδεῖοι), Cass. Dio fr. 49, 2—3 (Σαρδιαῖοι), Steph. Byz. Ἀρδέα.

2) Qui tamen condicione solita meliore gaudebant, ut Athenaeus (IV 149 c d) ostendit Theopompi locum laudans e libro XXXXVI Philippi-
corum. Inspice etiam titulum Lebasianum 341 b.

3) Ipse Boeckhius in Addendis primi uol. C. I. Gr. suam de Prospe-
latis Arcadum sententiam ualere iussit.

4) Ut saepius apud Pausaniam, mira deprauationis pestilentia nomi-
num memoriam inuasit. Numquam nomen Ἀρχήδιος in Graecorum usu

Praeterea legis apud Stephanum s. u. Ἀρκάδες· πόλις Κρήτης, ὡς Ξενίων ἐν Κρητικοῖς· οἱ πολῖται ὁμοίως Ἀρκάδες. Δημήτριος¹⁾ δὲ οὐκ Ἀρκάδας τὴν πόλιν ἀλλ' Ἀρκαδίαν φησίν. εἰκότως οὖν καὶ τὸ ἐθνικὸν ταύτης Ἀρκάδες. His uerba s. u. (Ἀρκαδία) adiunguntur: ἔστι καὶ Ἀρκαδία παραθαλάσσιος πόλις²⁾. Nec dedecet Vellei Paterculi (I 1, 2) et Stephani s. u. Τεγέα addi testimonia, quibus Tegea Cretae oppidum ab Agamemnone Troia redeunti siue a caduceatore eius Talthybio condita refertur; nam Arcades facile poterant inter conditores uersari, qui naues ab Agamemnone accepisse atque quodam modo sub huius imperio ante Troiam pugnasse tradantur³⁾.

At licet Tegea et ex aliis Arcadiae oppidis homines in Cretam immigrauerint, non tot fuerunt tantaque auctoritate, ut uestigia morum Arcadicorum in publicis insulae institutis mansisse uideantur. Artiorem fuisse cognationem inter Arcades et Cretenses id quod alterutri negabant inscriptionibus refellitur. In titulo quidem aedificiali (Lebasii II 340 e, Caueri 457) et in iure Gortynio nuperrime inuento, ubi proprietates sermonis utriusque gentis purissime seruatae comparant, fere nihil deprehendi unde maior similitudo dialectorum possit constitui. Per Dorienses igitur factum esse iudicabimus, ut classis Clarotarum apud Cretenses existeret, hominum bello domitorum et in seruitutem detrusorum.

Supra posuimus cliuum Clarium arcem fuisse Aphidantium nec non postea acropolim Tegeatarum inde euasisse arbitramur. Nam collis iste, hau dubie merito a uiris doctis is agnitus qui

fuit, quod quam inepte hoc loco se habeat penitus liquet. Utique pro eo Κατρέα cum Siebeli rescribendum est quo carere nequeamus. Oppidum autem a Catreo conditum non item Κατρέϊς nominabatur, sed Κάτρη Herodiano teste apud Stephanum, eamque formam restituendam esse censeo, cum facillimo errore oscitantia librariorum conditoris nomen repetere potuerit.

1) Demetrius intellegitur Magnesia Thessalica oriundus, Ciceronis aequalis qui περὶ ὁμωνύμων scripsit.

2) Cuius ciuitatis duo decreta publica foedera cum Teis continentia exstant apud Lebasium (V 1, 71 et 80).

3) Hom. II. β 612.

hodie uocatur Hagios Sostis, cum maxime emineat e planitie amplumque prospectum praebeat, aptissimus erat struendis munitionibus. Non plus semel apud ueteres arcis Tegeae urbis mentio fit. Polybio auctore (V 17, 2) Lycurgus Spartanorum tyrannus capto oppido arcem quo ciues recesserant frustra oppugnauit; quod cadit in annum a. Chr. n. 218. Ab acropoli discernendum existimo tumulum, quem sua aetate Phylactridem nuncupari Periegeta (VIII 48, 4) perhibet. Sub eo feminae Tegeatides in insidiis conlocatae Lacedaemonios Charilao duce cum uiris decertantes oppressisse et uictoriam confecisse narrantur. Quod si hunc quoque Clarium collem Pausanias dixisset, certe aliquid addidisset. Itaque Phylactridem nomen a castello praesidioque Macedonum siue Romanorum nanctam esse suspicor. Ceterum Hagios Sostis magis ad septentriones et occidentem solem uergit quam ceterae urbis reliquiae, unde de situ arcis et tribus Clariotidis concludere in promptu est.

In eodem uico prytaneum stetisse uidetur, quod a Xenophonte (Hist. Gr. VII 4, 36: *δημοσία οἰκία*) intellegi existimo. Huc Pausaniae uerba (VIII 53, 9) spectant: *Καλοῦσι δὲ οἱ Τεγεᾶται καὶ ἐστὶαν Ἀρχάδων κοινήν*, eis praemissa quae de cliuo Clario disseruntur. Ante ea necessario lacuna est statuenda, qua commemorationem prytanei intercidisce putamus. Ille enim focus est publicus; ibi ignis sacer Vestae alitur. Eiusmodi autem lacunis scateret textum Pausaniae omnes prudentes concessere.

Apollini non Agyieo soli Tegeatae sacra faciebant; in urbe ipsa Pausanias (VIII 53, 7) aedem dei cum inaurato simulacro Chirisophi Cretensis opere conspexit. Quae utrum Agyiei fuerit an Apollinis aliter cognominati nescimus. Hoc pro certo adfirmes illud fanum quasi umbilicum fuisse tribus Apolloniatis. Quod cum Pausanias per portam ad Manthuream conuersam, ergo ad meridiem et occidentem spectantem, Tegeam intrarit ac postremo in septentrionalem oppidi partem peruenerit, templum et tribum Apollinis a foro septentriones et orientem uersus eunti sese obtulisse non ueri dissimile. Cui rei situs reliquiarum theatri, quod in hoc uico aedificatum

fuisse uidetur, non repugnat ¹⁾. Quod ex orientali regione cultum Apollinis aduectum esse contendi id meo iure feci, quando Pausaniae quoque temporibus rudera aedis Apollinis Pythii relicta erant, quae stadium fere aquilonem uersus distabant a uia populari Tegea per Corythensium pagum Argos ducenti ²⁾.

Venimus ad Mineruae tribum. Cuius numen antiquissima florebat religione apud Tegeatas et maiore reliquis deis honore. Scimus cum Poliatidi tum Aleae Palladi in oppido esse sacrificatum. Huic Aleus rex templum aedificasse fertur ³⁾. Vox *ἀλέα* quam Attici dicebant *ἀλέαν* aut teporem significat aut effugium, praesidium prout cum *ἥλιος, εἶλη* i. e. calor solaris ⁴⁾ aut cum *ἀλεωρή* componitur. Utroque significato iam apud Homerum exstat. Od. Muellero (Scripta min. II 175) et Welckero (Theol. I 309), ad quorum doctrinam adspirare non audet tirocinium meum, priorem notionem praeferebant ad stipulor. Huc enim aiunt Augem deam Lucinam Tegeatarum pertinere, quae filia Alei et sacerdos Mineruae Aleae fuisse dicitur cuiusque nomen splendor uertendum est ⁵⁾, huc Maeram ⁶⁾ Tegeatae uxorem fulgorem et sidus fulgens Sirius indicantem. Inde a Tegea sacra Aleae per totum *κλήρον Ἀφειδάντειον* peruulgata sunt, uelut de fanis eius in oppidis Mantinea et Alea quae nomen a numine, non ab Aleo adepta uidetur scimus ⁷⁾. Etiam in Laconia aliqua ueneratione fruebatur, cum in uia Sparta Therapnam ducenti simulacrum Aleae

1) Cf. Bursiani Geogr. II p. 220. Non procul ab Agyici statuis theatrum aberat, quas uix e tribu Apolloniatide remouere licet. Praeterea hic duo Liberi templa stabant; theatro ea propinqua fuisse haud in cassum iacto. Paus. VIII 53, 7.

2) Paus. VIII 54, 5.

3) Paus. VIII 4, 8. 45, 4.

4) Hesych., Suid., Etym. M. *ἀλέα*.

5) Alcid. Ulix. 14. Paus. VIII 4, 9. 48, 7, ubi ingeniose Auges nomen pro librorum *ἀντής* restituit Valckenaer (Diatr. p. 164). Templum signumque Lucinae in foro stabant. Cognomen eius siue Auges quod est *ἐν γόνασιν* in Ceteo redit Megistus — sic Callisto ibi cluet — patre. V. Ariaethum apud Hygin. Poet. astr. II 1.

6) Paus. VIII 12, 7. 48, 6. 53, 3.

7) Paus. VIII 9, 6. 23, 1.

conspiceretur ¹⁾. Sedes uero religiosissima huius cultus Tegeae mansit. Ibi templum magnum dignumque quod uiseretur multo post Alei tempora ciues erexerant. Quod cum anno a. Chr. 395/94 flammis deletum esset, nouum Scopas Parius aedificauit, longe pulcherrimam atque amplissimam quotquot in Peloponneso exstabant aedium ²⁾. Vetus deae signum, eburneum Endoei opus, simulque Calydonii apri dentes qui in templo adseruabantur Caesar Augustus uicto Antonio eiusque sociis, in quibus Arcades omnes praeter Mantinenses fuerant, Romam abduxerat ubi simulacrum in foro principis conlocatum est ³⁾. Rem diuinam Aleae puella nondum pubes facta curabat ⁴⁾. Praeterea inscriptionibus compertum habemus annum ei fuisse sacerdotem, a quo ut antistite numinis summa religione celebrati unus quisque annus denotabatur. Tituli incipere solent *ἐπὶ ἱερέως* etc. numinis nomine non addito; sed cum Mantineae sacerdos Neptuni *ἐπὶ ὠνυμῶς* fuerit, Tegeae hoc insigne antistitis Aleae fuisse iudicabimus ⁵⁾.

In honorem huius Mineruae ex antiquissimis temporibus ludi agebantur Aleaea, quae uocis forma inscriptionibus et Polemonis loco (de Heracleis Thebanis) in scholiis ad Pindari Olymp. VII 153 probata apud Pausaniam (VIII 47, 4) refragantibus libris restituta est. In hoc conuentu sollempni non raro

1) Paus. III 19, 7. Xen. Hist. Gr. VI 5, 30.

2) Paus. VIII 45, 3—5. Cuius in fundamentis nunc ecclesia uici Piali exstructa est.

3) Paus. VIII 46, 1 et 4. Posteriore loco memoriam grauiter laborare paret. Traduntur haec: *Ῥωμαῖοις δὲ τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ἄγαλμα ἐς τὴν ἀγορὰν τὴν ὑπὸ Ἀγούστον ποιηθεῖσαν, ἐς ταύτην ἐστὶν ἰόντι*. Haud perperam Schubartus post *ἰόντι* lacunam adgnouit; at ante uerba *ἐς ταύτην* iterum excidit aliquid, scilicet uerbum sententiae *ἐκομισθη*; quare *ταύτην* erit et hoc et quae ad participium *ἰόντι* requiruntur una lacuna post *ποιηθεῖσαν* statuenda putare absumpta esse.

4) Puellam intellego propter Augen hoc munere functam. Paus. VIII 47, 3.

5) Quae opinio titulo confirmatur in uico Piali, qui super ruinis Tegeae aedificatus est, ante hos tredecim annos a Deffnero inuento biennioque post ab H. Sauppio in ind. scholl. Gotting. semestr. hib. anni 1876/77 iuris publici facto. Cuius in fine subscriptum legis: *ἱερεὺς τῆς Ἀθηνᾶς Εὐάλνετος*.

accidisse uidetur, ut praemia uirtutis ergo alicui decreta per caduceatorem pronuntiarentur, id quod de Isagene cognouimus titulo 341 b Lebasii, quem societas seniorum corona aurea statuaque honorari censuerat. Certamina in stadio non multum a templo deae distanti fiebant. Mirum quantum dignitas Mineruae exinde aucta est, cum deuictis Lacedaemoniis qui Charilai ductu Tegeatidem inuaserant eius tutela efficacissima uidebatur. Tum Marpessae armatura ducis in illo proelio feminarum Tegeatidum in aede Aleae consecrata est, tum compedes quibus uincti Lacedaemonii captiui hostibus in campo fodiendo seruierant ibidem suspensae, ita ut uel Herodotus et Pausanias eas conspicarentur, tum Aleaeis ludis Halotia (cf. *ἄλισκομαι*) addita, quod magnam partem hostium in eis regem uiuos ceperant¹). Postea aliae quoque praeclarissimae belli manubiae in fano illo adseruabantur. Velut e pugna Plataeensi, in qua primi Tegeatae in Persica castra inruebant ac Mardonii tentorium expilabant, huius praesaepe equorum aeneum spectatuque dignissimum Tegeam auectum Aleae consecrauerunt²).

Ceterum, si Frontino (Strat. III 2, 8) fides habenda est, olim festo die Mineruae Tegea ab Aristippo Lacedaemonio capta est. Exscribo uerba scriptoris: 'Aristippus Lacedaemonius festo die Tegeatarum, quo omnis multitudo ad celebrandum Mineruae sacrum urbe egressa erat, iumenta saccis frumentariis palea refertis onusta Tegeam misit, agentibus ea militibus, qui negotiatorum specie inobseruati portas aperuerunt suis.' Tempus rei inquirentes frustra tenebras temptabimus.

1) Her. I 66. Paus. VIII 47, 2. In eodem capite paulo infra sic exhibetur oratio: *Τοῦ ναοῦ δὲ οὐ πόρρω στάδιον χώμα γῆς ἐστὶ, καὶ ἄγουσιν ἀγῶνας ἐνταῦθα, Ἀλεαῖα ὀνομάζοντες ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς, τὸν δὲ Ἀλώτια, ὅτι e. q. s.* Quia desiderari patet quod respondeat uerbis τὸν δέ, iure in maiore Schubarti editione insertas reor uoculas τὸν μὲν ante Ἀλεαῖα. Quam emendationem cur in editionem Teubnerianam non receperit ego non adsequor.

2) Her. IX 70.

Unum hucusque non tetigimus quod praecipuam Mineruae Aleae auctoritatem suppeditavit: dico asylum in fano constitutum ac perfugis etiam exterarum ciuitatum apertum. Quod reputans facile quis eo inclinet, ut alteram uiam explicandi Aleae nominis praeferat; hanc uero seriore aetate propter increbrescentem asyli famam munitam esse ueri similis duco. De perfugio illo Pausanias (III 5, 6) consulendus est, ubi de secundo Pausania rege Lacedaemoniorum qui cunctando calamitatis ad Haliartum acceptae anno a. Chr. 395 mortisque Lysandri auctor exstitisse putabatur haec refert: *Τότε δὲ ἐν αἰτίᾳ ποιουμένων τῶν πολιτῶν τὴν βραδυτῆτα αὐτοῦ τὴν ἐς Βοιωτίαν οὐχ ὑπέμεινεν ἐσελθεῖν ἐς δικαστήριον, Τεγεᾶται δὲ αὐτὸν ἰκέτην ἐδέξαντο τῆς Ἀλέας. ἦν δὲ ἄρα τὸ ἱερὸν τοῦτο ἐκ παλαιοῦ Πελοποννησίοις πᾶσιν αἰδέσιμον καὶ τοῖς αὐτόθι ἰκετεύουσιν ἀσφάλειαν μάλιστα παρείχετο. ἐδήλωσάν τε οἱ τε Ἀκαδαιμόνιοι τὸν Πανσανίαν καὶ ἔτι πρότερον τούτου Λεωτυχίδην καὶ Ἀργεῖοι Χρυσίδα καθεζομένους ἐνταῦθα ἰκέτας, οὐδὲ ἀρχὴν ἐξαιτῆσαι θελήσαντες.* Fugam Pausaniae similiter narrat Xenophon (Hist. Gr. III 5, 25), nisi quod eum Spartaee capitis esse damnatum Tegeaeque morbo perisse addit ¹⁾. Usque ad annum 385 quo ab Agesipolide filio expeditio in Mantineam suscepta est pater in uiuis fuisse uidetur ²⁾. Leotychildem Tegeam aufugisse ibique mortuum esse ab Herodoto (VI 72) et Pausania (III 7, 10) proditur; regno abdicatus est anno 469 ³⁾. De Chryside sacerdote Iunonis Argiuae, cuius neglegentia templum conflagratum erat, historia apud Periegetam (II 17, 7) exponitur ⁴⁾.

1) Cf. Plut. Ag. 3.

2) Xen. Hist. Gr. V 2, 3.

3) Quod Diodori potissimum indicium conligitur (XI 48. XII 35): Archidamum qui Leotychildi successit quadraginta duos regnasse annos; huius enim annum fatalem nouimus.

4) Ibi nomen *Χρυσίδης* scriptum est, quod minus rectum esse inde demonstratur, quod Thucydides aetate suppar *Χρυσίδα* eam bis appellat (II 2. IV 133), aliter nusquam. Per hunc et annus incendii aedis fugaeque sacerdotis constat — est a. Chr. 423 —, et natalicium Chrysidis annum propemodum licet diuinare. Etenim cum ineunte bello Peloponnesiaco per duodequinquaginta annos Iunonis antistita fuisset, omnino plus

At non supplices soli, uerum quicumque male tractati in patria exsulabant aut peregre adueniebant sedes suas commutaturi comiter excipiebantur; quo factum est ut haud pauci inquilini in oppido uersarentur, qui per cunctas tribus distributi ¹⁾ eximia prae metoecis ceterae Graeciae conditione utebantur, uelut ludis urbanis nullo discrimine inter ipsos et ciues facto intererant. In eo numero rex quidam fuit Argiuorum²⁾. Huic populares succensuisse narrantur, quod postquam multa bello contra Lacedaemonios gesto perpersi Arcadibus patriam restituissent, agros exsulibus reddidisset neque inter ipsos diuisisset. Idcirco cum uis ei pararetur, rex Tegeam profugit ibique honoratus ab eis quos beneficio adfecerat uitam degit. Quem priore saeculi septimi dimidio regnasse alibi ostendam. Item Herodoti (VIII 170) aliorumque testimoniis Micythus Choeri filius Tegeae aeuum finiuit. Seruus is fuerat Anaxilae Reginorum et Zanclaeorum tyranni, cui tanta fides a domino habebatur, ut post mortem eius anno a. Chr. 476 tutor filiorum in tyrannide succederet. Cum uero nouem annis post rationes ei reddendae fuissent, siue sua sponte siue pulsus patria discessit³⁾. Denique huc Leonidam secundum referimus, Cleonymo natum et regem Spartanorum, qui anno 242 regno priuatus Tegeam petiuit unde sequenti anno Spartam redux iniurias inlatas crudeliter ultus est⁴⁾.

Nec defuerunt qui hospitalitate ciuium abuterentur, ut de Sthenippo Spartano Polyaeus (II 26) narrat. Ille ab ephoris se multatum simulans Tegeam confugit et benigne a ciuibus exceptus est. Iam corruptis eius aduersariis Aristoclem archontem in pompa sacrificare parantem interficiendum curauit.

quinquaginta sex annos ministerio functa est, ut seni mulieri ueniam peccati dare possimus. Ceterum Thucydides eam Phliuntem facit abeuntem; quare nescio an exclusa a Phlasiis posthac in Tegeatarum tutelam peruenierit.

1) Aliter Athenis tribubus exclusi erant.

2) Diod. VII 14 b.

3) Cf. Diod. XI 48 et 66.

4) Plut. Ag. 12 et 16. In temporibus constituendis Droyseni (Hellenism. III 1 p. 435—37) uestigia pressi a quo dissidet Pausanias (III 6, 7—8).

Quae res, si narratiunculas paulo praecedentes apud Polyae-
num respicis, ei aptissime tribuetur aetati quae inter pacem
Antalcideam et pugnam Leuctricam intercessit. De Lichae
fraudulenta apud Tegeatas commoratione infra agemus.

Cultus Mineruae Poliatidis hoc erat proprium, ut quotannis
non plus semel sacerdoti concessum esset in fanum introire.
Propugnaculi templum (ἑρύματος ἱερόν) appellabatur, cum cir-
rus ibi seruaretur quem dea de Medusae capite desectum
tamquam custodem Tegeae Cepheo filio Alei dedisse fereba-
tur, numquam expugnatum iri oppidum promittens. Quam
fabulam accuratius Pausania (VIII 47, 5) ¹⁾ Apollodorus (II 7, 3,
5 sqq.) expedit. Herculem Pylo capta Spartam proficisci in
animo habuisse Hippocoontis filios ulturum. Ita cum Cepheum
eiusque prolem uiginti adulescentes in auxilium uocasset ²⁾,
hunc Argiuorum metu perculsum se suppetias iturum negasse.
Tum Herculem Gorgus cincinnum a Minerua in amphora aenea
acceptum Steropae Cepheo genitae hoc monitu tradidisse, ut
in aduentu hostium in muros adscenderet terque donum auerso
uultu tolleret. Quod in fugam aduersarios esse acturum. Sic
participes factos Herculeae expeditionis Cepheum filiosque
interisse ³⁾; Herculem uero occiso Hippocoonte cum stirpe po-
titum Lacedaemone Tyndareo expulso regnum reddidisse ⁴⁾.
Praeterea tres scriptores conferendi sunt: Photii lexicon s. u.
πλόκιον Γοργάδος, Suidas s. eadem u. qui fere nihil differt
a Photio, Apostolius (XIV 38) qui cum Apollodoro formam
Λακεδαιμονίαν pro *Λακεδαίμονα* communicat, cum Photio et
Suida Asteropam Cephei filiam appellat, in ceteris non dis-
sentit. Non potest non de communi fonte fabulae cogitari,

1) Pausaniae loco cum Schubarto codicis Lugd. a probo lectionem:
τοῦτο δὲ ἐρύματος ἱερόν . . .

2) Cepheus iam antea erga Herculem amice se gesserat. V. Valer.
Flacc. I 374 sqq.: Erymanthei sudantem pondere monstri, Amphitryoniaden
Tegeaeo limine Cepheus, iuuit.

3) Diodorus (IV 33) tres Cephei filios superstites fuisse memorat.

4) Pausanias (III 15, 5) bis contra Hippocoontem filiosque dimicasse
Herculem, sed e priore pugna sauciatum clam aufugisse indicat.

quem tragicum quendam fuisse poetam Naber ad Photium coniecit. Quod nomen puellae non sibi constat, corruptelae suspicionem mouet. Videntur enim ut iam Heynius perspexit et Sterope et Asterope ex eo nomine deprauata esse, quod una de Cephei filiabus tulit Pausania (VIII 45, 7) teste, nempe ex *Ἀερόπη*. Quae labes compilatorum socordiae deberi uideatur, nec scio an merito C. Mueller num nomen Aerope in Apollodori textu restituendum esset dubitarit.

Restat tribus Hippothoitarum, cuius posteriorem fuisse originem supra diximus. Hippothous a quo nomen accepisse narratur Agapenori, cum Troia domum non redisset, in regno Tegeatico successit; quem nihil aliud memoratu dignum patrantem facit Pausanias (VIII 5, 4), nisi quod domicilium regni Trapezuntem transtulerit. Talem causam exstitisse ut uni tribui nomen ab eo imponeretur nemo credit. Iam id unus quisque debet mirari, quod rex ille non filius Agapenoris nominatur, quod omnino non ex Aphidante et Aleo prognatus audit, sed Stymphali pronepos filii Elati ¹⁾. Hippothous igitur cum princeps fuerit nouae stirpis regiae, per uim hanc dignitatem obtinuisse uidetur, scilicet Alei gente regno pulsa. Quae cum reputaueris, uide num quid mea coniectura proficiatur: illum non sedem regiam Trapezuntem mouisse, sed regem in hoc fuisse oppido unde profectus Tegeatidem sibi subiceret. Ita noua pars incolarum, dico manum Hippothoi, huc adducta est quae seorsim habitasse nomenque a duce uidetur tulisse, nisi forte hic potius ab equitibus secum aduectis, quoniam *Ἰπποδοῦνται* fere ei intelleguntur quos Romani Celeres uocabant. Quamuis autem uictores Tegeam intrassent, quamuis sacra cum indigenis haud communicarent, tamen eos pari iure uti passi sunt. Mortuo quidem Hippothoo diuinos prope honores memor militum turba tribuit et sacellum dedicauit, quod sensim quarti uici euasit umbilicus. Mythici etiam artiore eum uinculo cum prisca gente regia coniunxerunt, ut commilito fieret Ancaei et Epochi filiorum Lycurgi in uenando

1) Elati gentem aliquamdiu Tegeatis imperasse simulacro eius significatur in foro posito. Paus. VIII 48, 8.

apro Calydonio interque socios expeditionis in fastigio templi Aleae fingeretur ¹⁾.

Distinguendus ab hoc is est Hippothous, quem Hyginus (Fab. 187) Alopae et Neptuni filium, nepotem Cercyonis facit latronis saeva sceptris Eleusine gerentis donec a Theseo interficitur. Hic enim a reliquis scriptoribus Hippothoo nominatur et ipse unius tribus heros esse *ἑπώνυμος* putabatur, nimirum Atheniensium. In promptu erat eum cum Arcade commiscere, quando alterius patri et auo alterius idem nomen erat; hic uero Neptuno siue Volcano natus et frater Triptolomi, ille Agamedis filius habebatur ²⁾. Insuper Thesei aduersarius a Plutarcho (Thes. 11) Arcas appellatur. Item Charax in quarto libro historiae Graecae Callimacho auctore Cercyonem ex Arcadia in Atticam uenisse uoluit, ut scholio ad Arist. Nub. 508 luculenter apparet. De Trophonio ibi agitur, qui cum Agamede patre et Cercyone fratre Augeae thesaurum Elide compilasse narratur. Capto autem patri Daedali laqueis filios ne adgnoscerentur caput desecuisse et Orchomenum fugisse. Tum his Characis uerbis pergit scholiasta: *Ἀγγείου δὲ κατὰ κέλυσιν Δαιδάλου πρὸς τὴν τῶν αἱμάτων ἔκλυσιν ἐπιδιώκοντος καταφεύγουσιν ὁ μὲν Κερκῶν* ³⁾ *εἰς Ἀθήνας, ὡς Καλλιμαχος* (fr. 143) ⁴⁾. *ὅς ὁ ἔφυγεν μὲν*

Ἀρκαδίην, ἡμῖν δὲ κατὸς παρενάσσατο γείτων,
ὁ δὲ ἕτερος εἰς Λεβάδειαν e. q. s. Illud quempiam potest offendere quod Trapezuntis regem Hippothoum facio, cuius auus Agamedes secundum scholium laudatum Stymphali regnarit. At posteros huius emigrasse nouasque regias constituisse ipsa fabula uidetur docere Trophonii et Cercyonis fugam referens ⁵⁾.

1) Paus. VIII 45, 7. Ouid. Met. VIII 307. Hyg. Fab. 173.

2) Paus. I 43, 3. Hyg. Fab. 38.

3) *Κερκῶν, ὄνος* rectius scribi quam *Κερκίων, ὄνος* quod plerisque locis libri manuscripti tradunt Arcadius praecipit p. 15, 27.

4) Fragmentum esse Hecalae uidit Ruhnkenius.

5) Iam Aegyptus filius Elati maximus natu ad Alpheum regnauerat, cuius stirpe emortua nescio an pars gentis Agamedeae eo se conuerterit. Pind. Ol. VI 34 et schol. Ipse Elatus regionem Cyllenae propinquam Orchomenumque caput sortitus erat.

De situ quartae tribus nihil certi scitur. Ne delubri quidem herois Pausanias mentionem inicit, unde liceret fortasse coniecturam facere. Ideo Bursiani opinio (l. l.) qua tribus media fuit inter Minerualem et Apolloniatidem omni fundamento caret. Facilius Pausaniam Hippothoi uicum aqt prorsus non intrasse aut pauxillam partem tetigisse iudicauerim.

Hactenus de origine ac situ tribuum. Lubrica est quaestio, qua tempestate hanc urbis diuisionem ad religiones quondam maxime spectantem in usum rei publicae receptam esse reamur. Qua de re cum clara testimonia deficiant, ex analogia quam dicunt ceterarum ciuitatum ueri similia magis quam uera concludas. Ne nomina quidem auctorum nouae ciuium distributionis liberaeque inquilinorum condicionis constant; certe ii inter quattuor legum latores quorum statuae in foro oppidi conspiciebantur ¹⁾, Antiphanem et Crisum ²⁾ dico, Tyronidam et Pyrrhiam ³⁾, quaerendi erunt.

CAPUT III.

De regno.

Primam rei publicae formam in omnibus Graeciae ciuitatibus regnum fuisse abunde constat. Reges igitur antiquissimis temporibus in Arcadiae quoque pagis scepra tenuerunt. Errarit tamen si quis singulos plerumque toti terrae imperasse Pausaniae credat. Nam si ne in aliis quidem Graeciae terris, quae mature legibus omnium uicorum communibus adstrictae erant, uelut in Attica hic rerum status pristinus est iudicandus, de Arcadibus qui nec bellis Persicis nec posteris aetatibus ante pugnam Leutricam umquam unam effecerint ciuitatem hoc statuere absurdum est. *Κατὰ κόμμας* enim initio Graeci

1) Paus. VIII 48, 1.

2) Sic recte nomen Meinekius (Diar. antiq. a. 1845 p. 1067) e libro *Κροῖσος* restituisse uidetur.

3) *Πυρρῆας* pro *Πυρρας* codicibus exhibitio Dindorfius reposuit. Cf Xen. Exped. Cyr. VI 5, 11.

habitabant, ut Kuhnius libro de origine oppidorum ueterum inscripto exposuit; inde complures pagi in oppida singula coniungebantur, quae postmodo uinculis quibusdam inter se conexas delato ad urbem praepollentem imperio in unam terram atque ciuitatem coalescebant. Quod in Arcadia seris saeculis effectum est nec in longum tempus conseruatum; permagna pars terrae etiam tum cum fastigium potentiae Graeci conscenderant oppidis carebat dispersosque in multos uicos homines alebat. Aliter Tegeatidis incolae iam uetustissimis aeuis unam urbem sibi constituerunt, unde uicinas regiones facile in dicionem redigere potuerunt. Numquam uero totam Arcadiam sub sua iura cogere ualebant.

Primum synoecismo nondum facto Aphidantem¹⁾ Tegeae gessisse imperium memorauimus. Is cum Azane et Elato fratribus quartus est a Pelasgo, principe seriei regum Arcadicorum per Pausaniam proditae. De partitione Arcadiae inter tres Arcadis filios praeter Periegetam (VIII 4, 3sq.) laudator Eustathius (ad Dionys. 415): *μετὰ τὸν Ἀρχάδος θάνατον οἱ παῖδες αὐτοῦ τρεῖς ὄντες ἐνείμαντο τὴν ἀρχήν· Ἐλατος μὲν ἔλαχε μοῖραν Ὀρχομενόν, Μαντίνειαν καὶ τὴν Κυνορικήν* e. q. s.²⁾, *Ἀφείδας δὲ Τεγέαν καὶ τὰ περὶ μὲν ἄλλης* (Meinekus Anal. Alex. p. 160: *τὰ περὶ Μαίναλον*), *Ἄζαν*³⁾ *δὲ καὶ τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ Ἄζανίαν* etc.

Aliter Apollodorus (III 9, 1, 1) duos Arcadis filios Elatum et Aphidantem recipit⁴⁾, cum Clitorem qui Azanis suboles a

1) Schol. Ven. a Il. β 603 Amphidamas pater Alei et filius Arcadis perhibetur. Cf. Eustath. ad Il. p. 300, 34.

2) Apud Pausaniam Cyllenen montem accipit, quod non nimis abhorret.

3) Azanem gentis Azanum gratia commentum esse apparet, quae olim potentissima fuisse Arcadum uidetur. — Posteriore tempore septentrionalis Arcadia circa Clitorem, Pheneum, Psophidem Azania nuncupabatur; olim Parrhasiam quoque ad inferiorem Alpheum adiacentem Azanes obtinuisse existimantur, cum Clitor Azanis filius Lycosorae regnarit (Paus. VIII 4, 5) et Phigalenses oraculo illo a Pausania allato (VIII 42, 6) Azanes appellentur. Cf. Muelleri Dor. II p. 436, Busolti Laced. p. 117sq., Schubringii de Cypselo dissert. Gotting. a. 1862ⁱ p. 18.

4) Cf. Charonem Lampsac. apud Tzetzam ad Lycophr. 480.

Pausania uocatur Lycaone natum dicat (III 8, 1, 4). Hoc inde explicamus quod opes gentis Azanum breui ita sunt imminutae, ut rarissime in Graecorum annalibus redeant. Quod apte fabulis Arcadum significatur, si quidem Clitor nullis relictis liberis mortuus fertur ¹⁾.

Post Azanis mortem Pausanias (VIII 4, 5—8) Clitorem ²⁾ ceteris principibus praecellentem facit; quo mortuo Aepytum ³⁾ Elati prolem Phaesanae in oppido prope Alpheum sito dominantem Arcadiae regnum esse adeptum; dein Aleum, iam prius patris heredem, in principatu secutum regiam Tegeae conlocasse. Hinc nihil licet conligere, nisi primis aetatibus modo aliud modo aliud Arcadiae oppidum cum rege suo maiore ceteris auctoritate floruisse. Tantum tamen concessum est sumere, belli temporibus et in expeditionibus communiter susceptis omnes uel multas Arcadum ciuitates regem unius oppidi dignitate praeualentem ducem secutas esse ⁴⁾, praesertim cum uincula quaedam communionis exstiterint, quo in numero antiquissimi ludi Lycaei Iouis, cultus Dianae Hymniae cui templum sanctissimum in finibus Orchomeniorum Mantineam uersus stabat, *ἑστία Ἀρκάδων κοινή* Tegeae aedificata referuntur ⁵⁾. Quo fieri potuit ut haud paruae Arcadum copiae Agapenor's ductu Troiano bello interessent, si quis hanc poetarum fabulam pro historia uelit accipere.

1) V. Hoehlium: Arcadia ante aetatem bellorum Persicorum, Meeranae a. 1883^o, p. 33.

2) Clitor rex oppidi homonymi causa inuentus est, cuius conditor exstitisse narratur apud Pausaniam (VIII 4, 5), ubi uocabulum *ὄνομασμένον* post *ῥῆκισεν* uidetur excidisse.

3) Hic in uenando ad Sepiam montem qui paulum abest a Cyllene, in patrio igitur regno, morsu anguis paruuli *σῆψ* nuncupati mortem obisse dicitur, ibidemque tumulus eius monstrabatur iam auctori nauium catalogi (II. β 604) cognitus. Paus. VIII 4, 7. 16, 3. — Ceterum Tegeae Aepytus cognomen erat Mercurii; rex inde fingi potuit. Paus. VIII 47, 4.

4) Non ita absurde Busoltus (Laced. p. 141 sqq.) Thirwallo (Hist. Gr. I p. 430) praeunte cum Thessalorum dignitate quae est *ταγεία* regnum comparat Arcadicum.

5) Paus. VIII 2, 1. 5, 11. 53, 9.

Iam duobus saeculis ante maior Arcadum exercitus exisse dicitur, cum apud Pheam ad Celadontem et Iardanum flumina cum Pylis de dicionis finibus decertaretur ¹⁾. Bis in Iliade (δ 319 et η 133 sqq.) Nestor hac pugna gloriatur in qua ipse adulescens Ereuthalionem filium Hippomedontis siue Aphidantis (Amphidamantis) siue Xanthippi insignem hostium propugnatores ad certamen singulare prouocatum occiderit. Quamquam si Ariaetho fidem habemus, Pylis non nimis felici euentu adiuti sunt. Arcades enim, quod leges pugnae Nestor uolasset, neglecto foedere adgressi aduersarios fuderunt ²⁾. Hoc bello oppida Arcadiae Pylis uicina et Lycurgum Tegeae regem et alias terrae ciuitates auxilio uocasse non temere coiciamus. Lycurgus autem cum ipse senio confectus supplicias ire non posset, Ereuthalionem familiarem cum manu suorum miserat, qui propter praeminentem dignitatem regni Tegeatici summum imperium tenuisse uidetur.

Ad extremum neglegi nolim quod indicium societatis Arcadicae ex Herodoto (VI 74) compertum habemus. Cleomenes enim, cum malignae eius machinationes in Demaratum alterum Lacedaemoniorum regem Spartae innotuissent, metuens in Thesaliam secessit unde in Arcadium reuersus Arcades aduersus patriam sollicitauit cum aliis iuramentis adstringens ut se quicumque duceret sequerentur, tum principes (*τοὺς προεστῶτας*) in Nonacrim oppidum ductos iure iurando per Stygis aquam adigere paratus. Non nimium distat a probabilitate hunc sollemnem fuisse locum, ubi conuentus agerent proceres Arcadum resque grauioris momenti deliberarent. Quod factum ad aetatem Persicis bellis paulo superiorem pertinet.

1) Ubi conflixissent ne inter ueteres quidem geographos constabat. Iardanus Pausaniae (V 5, 9) idem est atque Acidus (Strabonis Acido). Alii Celadontem amnem postea Acidontem dictum esse putabant, oppidi autem Pheae nomen in Chaam mutatum. Didymus Pherecydem secutus *Φηραῖς* apud Homerum pro *Φειᾶς* legi uoluit, non optime. Schol. Ven. a II. η 135. Inter amnes cum Alpheo aquas miscentes a Pausania (VIII 38, 9) Celadus nominatur fortasse non diuersus a Celadonte Callimachi (Hymn. III 107). *Ἄγκαιον ὄρος* uix recte legitur in scholio.

2) Schol. II. δ 319.

Sed redeamus ad priora tempora! Aleo ¹⁾ testibus Apollonio Rhodio (I 161 sqq.) et Pausania (VIII 4, 8) tres filii Lycurgus, Amphidamas, Cepheus unaque filia Auge nati sunt. Alteram Diodorus (IV 68) addit Alcivicam. Quorum matrem Apollodorus (III 9, 1, 2) Neaeram Pereo genitam et neptem Elati nuncupat, quamquam Pausanias (VIII 4, 6) hanc Autolyco Mercurii siue Daedalionis proli nupsisse tradit ²⁾. Per Augem Aleus Telephi auus factus est ³⁾, per Alcivicam Salmonei socer. Ipse grandaeus fuit, cum Amphidamas et Cepheus filii et Ancaeus nepos in numero Argonautarum in Colchidem profecti sunt. Domus Alei etiam Pausaniae aetate Tegeae uisebatur ⁴⁾.

Hunc Lycurgus filiorum maximus natus ⁵⁾ in principatu excepit, cuius persona minus caeca caligine obiecta latet, cum uel Homero cognita sit. Quem Iliadis uu. η 137 sqq. Areithoum in angustiis uiae ubi clauus huic usui non esset dolo interfecisse legimus. Armis uiri a Marte donatis dehinc ipsum sese ornasse in pugnam iturum, donec senectute oppressus Ereuthalioni ea concederet. Causam caedis scholiasta Ven. a II. η 8 e Pherecyde accersitam promit: Boeotos cum Arcadibus de finibus terrae certasse. Quod cum Areithous maximam ex Arcadia praedam abduxisset, Lycurgum multa parte hosti-

1) Ἀλεός Arcadius (p. 38, 18, ubi Μαλεός prae exhibetur) scribendum docet, quod alibi etiam libri manu scripti conseruarunt. Praeterea Ἀλεός et Ἀλεωός leguntur.

2) Rectius Hyginus (Fab. 14) Cleobulen uidetur matrem perhibere.

3) Paus. VIII 4, 9. 47, 4. 48, 7. Primo loco Hecataeum recoquit. Alcid. Ulix. 14 sqq. Varias fabulae formas quam pulpitis aptare ueteres tragici adamabant Koner p. 32 sq. enarrat.

4) Paus. VIII 53, 10.

5) Auctor bibliothecae (III 9, 1, 2 conl. II 7, 3, 4 sqq.) Cepheum ut uidetur primum esse genitum ac tenuisse regnum sumit; a quo Caphyae septentrionalis Arcadiae oppidum nominatae esse dicuntur; Paus. VIII 23, 3. Nec uero defuerunt qui Romanorum rebus maiorem operam nauantes Capii Aeneae comiti hunc honorem uindicarent. Dion. Hal. Arch. I 49, Steph. Byz. Καρύαι. Interim id fauet Apollodoro, quod Pausanias (VIII 5, 1) Lycurgo non eius ipsius nepotem, sed Cephei in regno successisse tradit. — Schol. Ven. b II. β 609 Amphidamas Lycurgi pater dicitur.

lis exercitus ad defectionem commota insidiis aduersarium perdidisse, praedam recepisse.

In uersu ad quem pertinet scholium de Menesthio agitur incola Arnae oppidi et Areithoi filio. Quia utroque Homeri loco epitheton *κορυνήτης* redit, uesanum sit cum scholio II. η 138 ¹⁾ conlato scholio u. 9 et 10 Areithoum Arcadem et Boeotum distinguere. Simul elucet non recte scholiastam de certamine *περὶ γῆς ὄρων* uerba fecisse, quoniam nec uicinae terrae sunt Boeotia et Arcadia nec omnino de regno Areithoi constat ²⁾. Hic potius, si non grassator, — *ἄριστος* enim *τῶν κατ' αὐτὸν ἀνθρώπων* uocatur — at certe homo nouarum rerum cupidus et inquietissimus fuit, ut dux manus cuiusdam audaciorum praedationibus pacatas ciuitates uexare non ueretur. Ceteroqui Pausanias (VIII 4, 10) idem facinus infame Lycurgi criminatur, quod ab aeuo heroum quam maxime abhorrebat. Locus ubi rem accidisse existimabant in finibus Mantinensium apud Phoezonem monstrabatur ³⁾ cum angusto tramite et tumulo Areithoi. Scholiasta teste Apoll. Rhod. I 164 ⁴⁾ in memoriam facti ab Arcadibus *Μώλεια* festum celebrabatur, quod nomen acceperit ab Homerica uoce *μῶλος* (cf. l. l.) pugnam significanti.

Lycurgi senectus propter immaturam liberorum mortem ingrata fuit. Epochus enim morbo, Ancaeus apro Calydonio perierat ⁵⁾. Vitam rex non in patria, sed Leprei in oppido Triphyliae uidetur finisse, si modo huius incolae uerum Lycurgi sepulcrum apud ipsos habuerant, quod Pausaniae temporibus iam non conspiciebatur ⁶⁾. Quid eum illuc adduxerit haud liquet; de expeditione ab Arcadibus in Triphyliam Lycurgo duce facta non ariolantis sit cogitare.

1) Ibidem Areithous socius Arcadum uocatur, quem inuidia incensus Lycurgus e medio sustulerit.

2) Si re uera rex fuit, quod possit suadere epitheton *ἄναξ* (Iliad. η 8) opes eius non ita magnae erant, cuius quidem filius Menesthios in numero ducum ante Troiam imperantium non referatur.

3) Paus. VIII 11, 4.

4) Falso hic Ereuthalio a Lycurgo occisus narratur.

5) Paus. VIII 4, 10. 6) Paus. V 5, 5.

Nunc ad Cephei stirpem fratris Lyncurgi regnum transit. Echemus Aeropo genitus Cephei ¹⁾ filio succedit, cuius pater Spartaë uitam posuisse uidetur. Ipsorum sane Tegeatarum memoratu ²⁾ Aerope Cephei filia a Marte uitiata Aeropum peperit, ut Echemus abnepos esset Cephei, quod minus pulchre cum temporum rationibus congrueret. Qui Timandram filiam Tyndarei et Ledaë in matrimonium duxit ³⁾. Arte luctandi aequalibus antecellens Olympiæ exstitit, ubi in certaminibus primum ab Hercule institutis palmam tulit ⁴⁾.

Summam gloriam et sibi et ciuitati eo acquisiuit, quod Heraclidas a Peloponneso arcuit Hylloque in Isthmo occiso impetum ingruentem retardauit; unde et nomen Ἐχέμος (h. e. is qui tenet, conseruat) conformatum uidetur. Cuius rei duplex potissimum exstat memoria Herodoti (IX 26 conl. 27) et Diodori (IV 58 conl. 57), qua haec conliguntur. Ceyx Trachiniorum rex post Herculis obitum ab Eurystheo Mycenis regnanti Herculis et Licymnii liberos simulque Arcadum manum Alcidaë comitum ⁵⁾ e finibus suis expellere iussus erat. Quos cum sponte emigrassent incertique per Graeciam uagarentur praeter Athenienses ulla ciuitas recipere noluit; ab his in Tetrapoli Ionica sedes Heraclidis adsignatae sunt. At ne hic quidem Eurystheus eos sollicitare desiit; immo bello persecutus est contemptis Atheniensibus, qui societatem cum exsulibus inierunt. Proelio ad Marathonem commisso ⁶⁾ Eurysthei exercitus a sociis quibus Iolaus, Theseus ⁷⁾, Hyllus praeerant plane funditur; ipse in fuga apud Scironia saxa ⁸⁾ ab Hyllo occiditur.

1) Quod apud Herodotum (IX 26) Phegeus auus Echemi nominatur, id aut scriptoris negligentia aut scribarum error peccauit.

2) Paus. VIII 44, 7—8.

3) Paus. VIII 5, 1, Apollod. III 10, 6, schol. Pind. Ol. X 79. Timandra Hesiodo auctore (fr. 164b) postea relicto Echemo ad Phyleum se contulit.

4) Pind. Ol. X 79.

5) Apollod. II 7, 2, 1. II 7, 7, 7.

6) Strab. VIII p. 377.

7) Alii ut Euripides in Heraclidis, Anton. Liber. 33 tunc Demophon-tem Thesei progeniem Atheniensibus imperasse uolunt.

8) Apollod. II 8, 1, 3.

Qua freti uictoria paulo post Heraclidae Hylo duce Peloponnesum subigere temptant. Atreus uero ad quem populi scito ¹⁾ regnum Persidarum transierat, postquam Achiuos, Iones, Tegeatas foedere coniunxit in Isthmo cum hostibus congressus est, ubi Hyllus uno ex aduersariis ad singularem pugnam provocato ab Echemo interficitur ²⁾; is e compluribus ultro se offerentibus electus erat. Atque hunc in modum inter se erant pacti, ut si Hyllus uicisset Eurysthei regnum Heraclidis redderetur, sin occubisset ne intra centum annos — Diodorus de quinquaginta annis loquitur — in Peloponnesum reuerterentur. Quod si rationes chronologicas respexerimus, utique Herodoti testimonium de temporis spatio maioris probabilitatis speciem quam Diodori prae se ferre iudicabimus. Etenim et Callimachus et Eratosthenes centum fere annos inter Hylli obitum et Heraclidarum in Peloponnesum reditum intercedere uoluerunt ³⁾.

Neminem offendet quod tunc Tegeatae ut aliae gentes Peloponnesi in ditione quadam regis Mycenaei uidentur fuisse. Scimus Arcades Agamemnonis imperio in expeditione Troiana obtemperasse, cuius nomine Menelaus ante bellum prope Caphyas uersatus erat copias coactus ⁴⁾, et posthac Orestem maximam terrae partem subiectam habuisse ⁵⁾. Antea autem Pelops cum Stymphalo Arcadum rege filio Elati bellum gessisse fertur; qui cum ui Arcadium expugnare non posset, amicitiam simulans imprudentem aduersarium occidit ⁶⁾. Propter Echemi uictoriam cum aliis honoribus Tegeatae in Peloponnesiorum societate digni habebantur tum in proeliis cornu alterutrum ducebant; quod priuilegium in pugna Plataeensi contra Atheniensium postulata retinere studebant.

1) Thuc. I 9.

2) Hylli sepulcrum Megaris monstrabant. Paus. I 41, 3. Tegeae Echemi cum Hylo pugna pilae insculpta Pausaniae aetate cernebatur. Paus. VIII 53, 10.

3) Cf. Clintonis Fast. Hell. I p. 140. Qui hoc certamen singulare neque in Isthmo et longe post factum malunt, eos satis esse refutatos ab Hoehlio p. 39 sq. existimo.

4) Paus. VIII 23, 4.

5) Paus. II 18, 5.

6) Apollod. III 12, 6, 9.

Alterum Echemi bellum aetate superius unus Dicaearchus apud Plutarchum (Thes. 32) commemorat. Ibi de Tyndaridarum in Atticam inuasionem ob raptam a Theseo et Pirithoo Helenam facta sermo est. Theseus forte a fuit in custodia retentus ab Aidoneo Molossorum rege¹⁾. Sororem Aphidnis occultari Dioscuri indicio Academi comperiunt²⁾; quapropter et uiuum illum a Tyndaridis honoratum esse et mortuum a Lacedaemoniis, qui quotiens in Atticam incurrentes agros depopularentur semper Academia abstinerent Academi gratia. Dicaearchum uero tradere Echemum et Marathum illis temporibus ex Arcadia profectos una cum Tyndaridis in Atticam uenisse, quorum ab altero Echedemiam nomen accepisse quae nunc Academia appelletur, ab altero Marathonem uicium quod ultro ex oraculo quodam mactandum se ante aciem praebuisset.

Hunc locum temptare nequiquam plerique recentiorum editorum conati sunt, nescii nimirum quo pacto ab Echemo Echedemiae nomen ducere liceret. Proinde Xylandrum qui ex anonymi scriptura Ἐχέμου correxerat in Ἐχεδήμου secuti sunt. At hercle uereor ne in sano corpore ulcus deprenderint. Primum nihil de Echedemo Arcade seu aliunde orto exploratum est. Dein quae apud Stephanum Byzantium s. u. Ἐκαδήμεια legis plane refragantur: Ἐκαδήμεια ἢ Ἀκαδήμεια, ἀπὸ Ἀκαδήμων. καὶ Ἀθήνησι τόπος, ὁ Κεραμεικός. ὁ ἦρωρ δὲ διὰ τοῦ ε γράφεται, οἱ δ' ὅτι Ἐχεμος ὁ Ἀρχὰς συστρατεύσας τοῖς Διοσκούροις ὑποχείριον ἔσχε τὴν Ἀττικὴν, ἐξ οὗ Ἐχεμήδειόν φασιν. μὴ βουλόμενοι δὲ σώζεσθαι τὸ ὄνομα Ἀκαδήμειαν ἔφασαν. ὁ δημότης Ἀκαδημαϊκὸς τροπῆ καὶ τοῦ τελευταίου ε εἰς η.

Equidem nullus dubito quin hic eadem Dicaearchi explicatio proferatur simulque ansa praebeatur conexus inter Echemum uocemque Ἐχεδημία siue potius Ἐχεδήμεια³⁾ sta-

1) Plut. Thes. 31.

2) Dissentit Herodotus (IX 73) qui Deceleenses uel Decelum heroem eponymum de hac re Tyndaridas certiores fecisse tradit.

3) Praestat Ἐχεδήμεια, Ἀκαδήμεια per diphthongum ει scribere nec per breue ι propter correptam ultimam ut Buttmanus docuit (Gramm.

tuendi. Urgenda enim sunt uerba ἔσχε τὴν Ἀττικὴν, quibus ad nomen Arcadis alludi patet. Hic possessor erat terrae Atticae (ὁ ἔχων τὸν δῆμον) per illud bellum. Itaque Plutarchi Ἐχέμου ne amplius lacessamus, quod quasi nouo adminiculo Hesychii glossa fulcitur: Ἐχεδημία· ἡ νῦν καλουμένη Ἀκαδημία. Immo Stephani Ἐχεμῆδειον cum Berkelio ex illis emendemus. Traditas uocis litterulas religioni habere dedecet; etenim eam aegrotare uel exitus in εἰον pro exspectato εἰαν clamat¹⁾. In ore hominum forma Ἐχεδήμεια aegre umquam fuit, sed eam Dicaearchus alucinatus est quia Ἐκαδήμεια difficilior erat interpretatu²⁾. Utrum ipse etymologiam parum

Gr. II p. 282). De accentu scholiasta Dem. XXIV p. 114a haec adnotat: ὁ δὲ τόπος τῆς εὐθείας τῆς Ἀκαδημείας προπαροξύνεται.

1) Stephani uerba non uno loco medicina indigent uel excerptoris uel scribarum socordia misere lacerata. Primum ante καὶ Ἀθήνησι hiulcam uideo orationem; uidentur olim post ἀπὸ Ἀκαδήμου haec fere stetit: γυμνάσιον Ἀθήνησι καὶ τόπος etc. Cf. Steph. Ἀκαδήμεια et Hesych. Ἀκαδημία. In sequenti enuntiato ut καὶ post δέ inseratur sensus impense flagitat. Postremo Westermannus recte perspexit in fine huius expositionis sic restitui scriptoris manum: τροπῇ καὶ τοῦ τελευταίου εἰς α. Ceterum initio Ἐκαδήμεια aspero spiritu legendum.

2) E duabus quae restant formis uetustior Ἐκαδήμεια putanda est, quod complura euincunt testimonia. Unum est Diogenis Laertii [III 9 (7)]: Ἐπανεληθὼν δ' εἰς Ἀθήνας (ὁ Πλάτων) διέτριβεν ἐν Ἀκαδημίᾳ. τὸ δ' ἔστι γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες, ἀπὸ τινος ἤρωος ὀνομασθὲν Ἐκαδήμου, καθὰ καὶ Εὐπολις ἐν Ἀστρατεντοῖς φησὶν·

Ἐν εὐσκολοῖς δρόμοισιν Ἐκαδήμου θεοῦ.

Quicumque animum aduerterit ceterorum librorum Ἀκαδήμου in Eupolidis uersu pessimam esse scripturam sentiet illud praestanti codice Burbonico offertur. Dehinc sic pergit: ἀλλὰ καὶ ὁ Τιμων εἰς τὸν Πλάτωνα λέγων φησὶ·

Τῶν πάντων δ' ἠγγεῖτο πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορήτης ἠδνεπής, τέτιγγεν ἰσόγραφος, οἱ θ' Ἐκαδήμου δένδρον ἐφεζόμενοι ὅσα λειριόεσαν ἰᾶσιν.

πρότερον γὰρ διὰ τοῦ ε' Ἐκαδημία ἐκαλεῖτο.

Praeterea scholium Dem. XXIV p. 114b quod repetiit Suidas haec habet: Ἀκαδημία· γυμνάσιον ἐν Ἀθήναις προάστειον ἀλσῶδες, ἐν ᾧ διέτριβε Πλάτων, ἀπὸ Ἐκαδήμου τινὸς ἤρωος ὀνομασθὲν τοῦ καθιερώσαντος αὐτό. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἐκαδημία, ὡς Ἀριστοφάνης· ἀλλ' εἰς Ἐκαδημίαν κατιών. Laudatur hic uersus Nubium 1005, cuius scholium in lemmate

probabilem confinxerit an alio scriptore fretus propinauerit in medio relinquamus; originem autem fabulae de Echemi et Marathi expeditione in Atticam facta, cum tam singularis sit ei memoria, ad antiquiora tempora referre uelle absonum est¹⁾.

Echemo regnante prior expeditio septem uirorum contra Thebas uidetur accidisse eaque ante Hylli obitum, si ueterum computationibus credere licet²⁾. Inter duces Parthenopaeus nominatur princeps Tegea oriundus. De parentibus eius ualde dissentiunt scriptores; plerique tamen Melanione³⁾ et Atalanta eum progenitum esse censent⁴⁾. Patrem Meleagrum nominat

quidem Ἀκαδημῖαν praebet, nomen uero ita explicat: ἦν δὲ γυμνάσιον ἀπὸ Ἐκαδήμιον τινὸς καταλείψαντος τὴν κτῆσιν ἑαυτοῦ πρὸς ἐπισκευὴν τοῦ τόπου. Unde elucere arbitror ipsum commentatorem legisse Ἐκαδημῖαν. Itaque cum pridem Casaubonus in nota doctissima ad Diogenis I. I. lectionem codicum Aristophaneorum quae est Ἀκαδημῖαν mutandam esse censuisset, non tamen editores obsecuti sunt; nihilo setius uera ibi scriptura est Ἐκαδήμειαν. Extremo loco Etymologici Magni interpretationem uocis Ἀκαδήμιον γυμνάσιον arpono, ubi post alia haec adduntur: διττὴ δὲ ἡ ἀρχὴ τοῦ ὀνόματος. οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ α τὸν Ἀκάδημον, οἱ δὲ διὰ τοῦ ε τὸν Ἐκάδημον (scribe Ἐκάδημον secundum perspicuam etymologiam). οὕτως Ὠρίων.

1) Marathum quoque ex Arcadia in Atticam inuadentem Dicaearchi uel auctoris eius inuentum esse liquet. Eadem nominis forma ab uno Suida s. u. *Μαραθῶν* heroi Marathonio tribuitur, qui loco Callimacheae Hecalae niti uidetur et filium Apollinis Marathum facit. Alias heros cum pago homonymus est. Paus. I 15, 3. 32, 4, Philostr. u. soph. II 1, Nonn. Dion. XXVI 336. XXVIII 157. XXXXVII 340. Marathonem Epopei subolem, nepotem Aloeï cum illo unam personam esse mea quidem opinione existimat Pausanias qui bis eum commemorat (II 1, 1. 6, 5). Quorum locorum priore Maratho patris iniquitatem et superbiam fugiens in Atticam immigrasse narratur.

2) V. Clintonis *Fast. Hell.* I p. 140.

3) *Μελανίων* rector scriptura est quam et auctores pedestris orationis et poetae usurpant; dactylici uero poetae metri causa *Μελανίων* dixere, quae forma in usum Latinorum elegiarum scriptorum recepta est mutata uidelicet diphthongo in i productam.

4) Hellanicus in schol. Eur. Phoen. 150. Melanio ibi ut apud Apollodorum (III 9, 2, 1) Amphidamantis filius uocatur; eius autem maiores Epochus, Argepus, Cepheus, Neptunus teste Hellanico cluent; quod fragmentum Phoronidis miror C. Muellerum fugisse. Haec Amphidamantis

Hyginus (Fab. 70, 99, 270), Martem Apollodorus (III 9, 2, 6), Seruius ad Aen. VI 480, idem matrem Melanippam. Plane diuersa de Parthenopaei origine memoria eum ab Argiuo Talao et Lysimacha Cercyone nata Neptuni nepte procreatum esse tradit, ut frater fiat Adrasti qui summam imperii priore bello Thebano tenebat. Haec apud Antimachum in scholio Phoen. 150, Apollodorum (I 9, 13, 1), Pausaniam (II 20, 5. IX 18, 6), apud Aristarchum Tegeatam, Philoclem, Hecataeum Milesium in scholio Oed. Col. 1320 exstat. Mediam uiam ingressi sunt qui aetatem tulere tragicorum, puerum ex Arcadia uenisse ibique educatum esse narrantes¹⁾. Statio (Theb. XI 177) rex Tegeae uocatur quod poetae excogitasse uidentur.

Etymologia nominis dilucida est. In ludis Nemeaeis ab Adrasto sociisque iter ineuntibus in Opheltae honorem institutis primus Parthenopaeus aut arcu aut cursu uicisse fertur²⁾. Omnes de pulchritudine et immaturo adulescentis fato conspirant, quem Thebais cyclica, Euripides (Phoen. 1157), Aristodemus in Thebaicis a Periclymeno filio Neptuni saxo interfectum esse referunt, Statio (Theb. IX 841—874) a Dryante Tanagraeo Orionis nepote³⁾; ipse Thebani Asphodico⁴⁾ facinus uindicabant⁵⁾.

Feliciore euentu posterius aduersus Thebas bellum fuit, quod epigoni qui uocantur filii septem priorum gesserunt. Hi quindecim annis post mortem patrum⁶⁾ expugnatis Thebis regnoque ciuitatis Thersandro Polynicis proli tradito poenas ab hostibus exegerunt. E numero epigonorum Parthenopaei progenies erat uulgo Promachus dicta. Neque uero constat de nomine, cum apud Hyginum (Fab. 71 a) Thesimenes, apud

origo et alter Cepheus Arcas propria sunt Mytilenaei. Apollod. III 6, 3, 2. 9, 2, 6. Paus. III 12, 9.

1) Aesch. Sept. 547, Eur. Suppl. 890.

2) Apollod. III 6, 4, 5, Stat. Theb. VI 528—623.

3) Stat. Theb. VII 256.

4) Quem Amphidicum uocat Apollodorus (III 6, 8, 2).

5) Paus. IX 18, 6, schol. Phoen. 150, 1156.

6) Euseb. Chron. II p. 48 et 52. Apollodorus (III 7, 2, 1) decennium inter duas expeditiones interfuisse indicat.

scholiastam II. δ 404, Eustathium ad II. p. 489, 39 qui nouem principes computant Stratolaus clueat. Hygini nomen non integrum exhiberi mira docet uocis compositio. Qui Pausaniam legerit de emendando loco non haesitabit. Is (III 12, 9) Spartaе sacellum esse Aulonis Arcadis narrat Tlesimene nati quem alii fratrem, alii filium Parthenopaei dicitent. Tlesimenes igitur reponendus est ¹⁾. Sepulcrum Promachi et Argis exstare et in Boeotia prope Glisantem oppidum Pausanias (II 20, 5. IX 19, 2) memorat; quamquam quo modo hic interierit haud liquet.

Liberos Echemus procreasse non uidetur; singularis enim Seruii (ad Aen. VIII 130) notitia est: Euandrum quem Palantio pulsum in Italiam immigrasse regionemque ubi postea Roma stabat incoluisse constat filium Echemi et Timandrae a quibusdam perhiberi ²⁾.

1) In fine narratiunculae adiectiuum Nysius quo patria significatur Tlesimenis stare nequit; ni fallor hunc quoque sicut reliquos epigonos Argiuum Hyginus nominarat.

2) Quod Ladocea locus suburbanus Megalopolitanorum in honorem Ladoci Echemo geniti nominabantur sero incolarum commento debetur. Paus. VIII 44, 1.

V I T A .

Zwickauiae Saxonum a. d. XIII. Cal. Ian. anni h. s. LXIII. lucem adspexi patre natus Immanuele Schwedlero, matre Emma de gente Siebeck. Per sancti baptismatis sacramentum nomina Georgii, Immanuelis fidei addicto euangelicae mihi sunt indita. Nondum septem aetatis annos peregeram modo elementis imbui coeptus, cum patri publice auocato Budissam Lusatorum sedes domicilii translata est. Receptus ibi inter discipulos gymnasii usque ad annum LXXXII. scholam frequentavi, cui tum Kreussler Theocriteus praeerat egregius magister. Inde maturus ut aiunt declaratus ad Lipsiensem uniuersitatem accessi philologicis studiis me daturus. Haec octo semestria lectiones adii uirorum industrissimorum Crusii, Curtii, Delitschii geographi, Ecksteinii, Heinzii, Langii, Lipsii, Noordenii, Pauli, Ribbeckii, Voigtii, Wundtii, Zarnckii. Proseminarii philologorum sodalis ter senos menses exstiti, totidem seminarii, per annum historici seminarii quod Ed. Meyer rexerit. Adhuc per dimidium anni paedagogicis Ecksteinii exercitationibus et Zarnckii Germanicis interfui. Biennium denique et in Lipsii et in Ribbeckii societatibus, sex menses in Langiana operam litteris nauavi.

Quibus quanta debeamus uiris doctissimis inane sit laudibus extollere. Grata tamen memoria cum omnes tum Lipsium et Ribbeckium qui praecipue studia mea fouerunt nullo tempore desistam prosequi.
